Spicilegium Canariense

Auctore **H. Christ**

Basiliensi.

(Schluss.)

»25. A. decorum Webb in sched. Bourg. 141.« (conf. diagn. priorem C. Bollei in Bonpl. l. cit. 240.)

»Caule fruticoso erectiusculo, foliis rosulatis ovato-subspathulatis« »subsessilibus glabris ciliatis, ramis floriferis elongatis foliosis, acutis,« »brevibus cymosis ramulis puberulis, calycis viscoso-punctulati dentibus« »ovatis acutis, filamentis planis taeniiformibus apice subulatis papillatis« »squamis hypogynis quadratis brevibus latis utrinque subdenticulatis,« »carpidiis ovato-lanceolatis leviter papillosis intus rectis erectis.«

»Hab. Gomerae convall. Barr. del Agua vallis Sebastiani (Bourg.)« et alibi Bolle.

Cl. Bolle in Bonpl. cit. h. addidit speciem b. Webbio ignotam:

A. Saundersii C. Bolle 241.

Statura humili, ramosissima, rosulis clausis cerasiformibus viscosis, panicula vix e foliis emersa a caeteris longe alienum.

Hab. Gomerae Barr. de la Laja.

Greenovia Webb.

»Sect. I. Petroplacus Webb syn. ined.«

»Herbae foliis rosulatis propagines emittentes. Carpidia 28—32.«

»1. G. aurea Webb Phyt. I, 199 (excl. syn. DC. et Wlld.) T. 36 excl.« »fig. 1, 2, 4, 13, 14, 15.«

»Hab. Los organos Orotavae. In Canariae m. Saucillo (Despr.) et La« »Angostura (Bourg.).«

»2. Gr. diplocycla Webb syn. ined.« conf. diagn. priorem C. Bollei Bonpl. 242.«

»Rosulae foliis late cuneatis apice elliptico-rotundatis cartilagineo-« »marginatis glabris, caulinis semiamplexicaulibus, caule subpedali glab-« »rescente panicula cymosa laxa, pedicellis hirtulis, calicis glanduloso« »hirsuti dentibus lanceolatis acutis, carpidiorum orbe medio altero ab-« »ortientium circulo exterioribus, alternantium axi centrali insidentium« »clauso, carpidiorum parte libera brevi gibba valde incurva.«

»Hab. Gomerae in rup. La Hermita de las Nieves (Bourg.)« Degollada de S. Sebastian Bolle.

»3. Gr. rupifraga Webb Bot. mag. 40, 87 in annot. (Gr. aurea Webb« »Phyt. cit. pro parte T. 36, fig. 1, 2, 13, 14, 15).«

»Rosulae foliis oblongo-ovatis subspathulatis mucronulatis glaucis« »glabris margine membranaceis rubescentibus, superioribus cuneato-ovatis« »dense imbricatis, panicula cymosa diffusa, ramulis molliter pilosis, calycis« »glandulosi dentibus linearibus apiculatis, petalis lineari-lanceolatis, car-« »pidiis papillatis parte libera dorso rodundato.«

»Hab. In m. Teneriffae filo de las Cañadas (Berthelot.) Roques de« »Guimar s. flore!«

»4. Gr. ferrea Webb syn. ined.«

»Rosulae foliis latis flabelliformibus nervosis apice rotundatis margi-« »natis, caulinis ovatis vel orbicularibus. Caule glabrescente pedali, pa-« »nicula subthyrsoidea ramulis ascendentibus, calycis glandulosi dentibus« »ovato-lanceolatis, obtusiusculis, carpidiis undique dense glandulosis, orbe« »pertuso axe centrali intus papillata, carpidiorum parte libera brevi dorso« »gibbo. Fl. aurantiaci panicula ferruginea.«

»Hab. Ins. Hierro Barr. de Valverde (Bourg.).«

»5. Gr. polypharmica Webb syn. ined.«

»Foliis apice flabellato-rhomboideis basi attenuatis, caulinis spathu-« »lato-oblongis apice obtuse mucronulatis semiamplexicaulibus, caule« »dodrantali crassiusculo piloso-glanduloso, panicula depressa ramis bre-« »vibus assurgentibus apice cymosis cymis glomeratis floribus brevissime« »pedicellatis, calycis glandulosi dentibus oblongo-lanceolatis obtusis, petalis« »lineari-lanceolatis apiculatis basi latis, ovariis dense papillatis, parte« »libera brevi dorso elongato-curvato.«

»Fl. aurantiaci, praecedente omnibus partibus minor, foliorum, pani-« »culae et ovariorum forma diversa. Ut in Teneriffae G. aurea, ita in Ins.« »Hierro haec species morborum omnium nec non et mortis, saltem pullis« »remedium esse dicitur.«

»Hab. Hierro; Risco de Jñama (Bourg.).«

6. Gr. gracilis C. Bolle Bonpl. 242. nec Willd.

»G. dodrantalis Webb syn. ined.«

»Rosulae foliis rotundatis obovatisque basi attenuatis glabris margi-« »natis caulinis ovatis sessilibus apice obtusis, caule debili dodrantali, pani-« »cula lana glabra dichotoma, flore in dichotomia solitari, calycis hirsuto-« »glandulosi dentibus lanceolatis basi attenuatis acutiusculis, ovariis glandu-« »losis parte libera brevi dorso vix curvato. Fl. aurei.«

»Hab. In rup. humidis vallis Tajodio ins. Teneriffae unico loco versus« »silvam (Bolle).«

7. Gr. Aizoon Bolle Bonpl. 242. »G. quadrantalis Webb syn. ined.«

»Tota glanduloso-puberula, rosulae sesquidigiti latae foliis oblongis«

»apice latioribus quadratis vel leviter rotundatis, mucronatis, caulinis« »elongato-ovatis sessilibus, caule saepe vix quadrantali, panicula brevi« »laxiuscula, flore in di-trichotomia solitari, calycis hirsuto-glandulosi« »dentibus brevibus ovatis obtusis, petalis elongato lanceolatis basi attenuatis« »acutis, ovariis hirsuto-glandulosis parte libera lata dorso subpleno leviter« »recurvo.«

»Hab. Teneriffae: Filo de las Cañadas supra Chasna (Berthelot) ad« »rupes supra pagum La Matanza (Bourg.).« Ladera de Guimar. Barr. de Igueste Bolle.

Gr. dodrantalis Webb Phyt. I, 200 (Sempervivum Willd.) ex cl. Bolle l. cit. ab ea Synopseos Webbii ined. diversa, sed discrimina non indicantur.

»Sect. II. Petrothamnium Webb syn. ined.«

»Caulis fruticosus, folia ad apicem ramorum rosulata, carpidia 10.«

»8. G. sedifolia Webb syn. ined.« (Aichryson sedifolium Webb in herb. sec. Bolle in Bonpl. 1. Oct. 1859. 242.).

»Fruticosa ramis tortuosis foliis brevibus ovatis vel obovatis crassis ob-« »tusis sessilibus junioribus glanduloso-puberulis, paniculis cymosis ramulis« »tenuibus glabris, cymis paucifloris, calycis glanduloso-pubescentis 10« »dentati dentibus ovatis obtusis, petalis 10 lanceolato-ovatis obtusis, sta-« »minibus 20 filamentis filiformibus, ovariis glandulosis parte libera rhom-« »boidea dorso breviusculo recto.«

»Hab. Teneriffae prop. sacellum La Hermita de Masca non longe a »pago S. Jacobi (Bourg.).«

Bolle in Diagn. cit. addit: frutex 1 pedalis et ultra, rosulis minutis e foliis paucis compositis his sessilibus apice cochleariformi-rotundatis extus convexis late rubro-carinatis intus concavis abbreviatis 4″ longis inflorescentia thyrsoidea laxa circ. 10—12 flora brevi.

Monanthes Haw.

Nomen vetustius sed incongruum, ideo a Webbio derelictum eique nomen **Petrophyes** substitutum.

»* Aichrysoides Webb syn. ined.«

»Caule annuo ramoso foliis alternis.«

1. P. ictericum Webb in sched. Bourg. 158. C. Bolle Bonpl. 1859. 244.

Hab. »In Gomerae rupibus Barranco de Agua (Bourg.)« in rup. aridis de la Degollada Bolle.

»** Sediformes Webb syn. ined. Caule perenni foliis rosulatis.«

»2. P. polyphyllum Webb Phyt. I, 203.«

»Hab. Teneriffa.«

»3. P. pallens Webb syn. ined. S. polyphyllum in sched. Bourg. 270.«

»Foliis arcte rosulatis rotundatis vel ovatis basi subattenuatis sub-« »sessilibus, calycis hypocrateriformis glanduloso-hirsuti laciniis lanceolatis« »subacutis, petalis oblongis acutis, squamulis hypogynis 2 lobis margine«

»crenulatis, ovariorum orbe depresso, ovariis inflatis obtusis utrinque« »convexis glabris divaricatis. Affinis praecedenti sed ovaria satis diversa.«

»Hab. Gomera: Barr. de S. Sebastian.«

4. P. purpurascens C. Bolle et Webb in Bonpl. 245.

»Hab. Canaria: Tenteniguada (Bourg.).«

5. P. murale Webb in sched. Bourg. B. I, exs. 269 et It. II. 1284. Bonpl. 1859, 244.

»Hab. ad muros Ins. Hierro.«

6. P. microbotrys C. Bolle et Webb Bonpl. 1859. 245.

Hab. Handia Fuerteventurae.

»*** Bolboides Webb, syn. ined.

Caule perenni brevi indeterminato.«

»7. P. brachycaulon Webb Phyt. 202.«

»Hab. Teneriffae.«

P. agriostaphys Webb Phyt. nescio quo lapsu in syn. ined. plane omissum.

C. Bolle in Bonpl. 1. Oct. 1859. 245 has publicavit species:

P. tilophila C. Bolle.

Hab. Canariae Barr. de los Tiles.

P. minima B. Bolle.

Hab. Teneriffae.

Sempervivorum canariensium studium siccis cadaveribus nullomodo promovendum, sed vivis solummodo plantis alendum, difficillimumque ob sectiones ab auctoribus infelici calamo definitas.

Recte antiquus Haworth Monanthes a Sempervivis avulsit, quia non solum characteribus florum sed plantae totius fabrica modoque crescendi bene diversae.

Semperviva propria b. Webb in Phyt. Can. I, 181 et sequ., ut tantam turbam divideret eiqueimperaret, in genera tria diremit: Aichryson, Aeonium, Greenoviam, sed arte magis quam natura suadente.

Genus Aichryson Webbii herbas hapaxanthas sectionem optimam formantes, fruticulosque foliis rosulatis omnino alienos coercet.

In Genere Aeonio ejusdem auctoris plantae acaules vel subacaules sed stoloniferae, foliis planis in rosulas maximas congestis, fruticulique ramosi foliis parvis plerumque gibbis fasciculatis seu glomerate rosulatis coaguntur;

imo Genus Greenovia plantas sistit Aeoniis illis magnis simillimas, sed florum partibus numerosioribus carpellisque inflexis, non basi sed ad medium in tubum calycis immersis. His Grenoviis Webbius in synopsi inedita junxit aliquot formas sediformes, minores, oligomeras, minime veris Greenoviis comparandas, quarum unam, G. sedifoliam, cl. Bolle ad Aichrysa traxit.

Ut ista genera melius definiat, b. Webb dehiscentiam carpellorum respicit. Sed varium inconstansque discrimen. Omnia Sempervivorum carpella sutura ventrali gaudent, sed valde irregulariter hac sutura aperiuntur. In Aichrysis veris dehiscentia ventralis sensu longitudinis sane semper occurrit, sed in Aeoniis carpella saepius basi et dorso dirumpuntur, inque Greenovia aurea carpella media parte ventrali horizontaliter hiant, si recte Tab. 36 Phytogr. fig. 13 depicta. In S. Masferreri (Aeonio Hillebr.) denique pars superior carpelli a parte inferiori more pyxidii circumscisse secedit.

Mihi dispositio sectionum ita emendanda, ut inprimis fabrica plantae crescendique modus discrimini inserviat.

Sect. I. Aichryson (Webb ex parte, remotis speciebus fruticulosis foliis sessilibus seu spathulatis).

Herbae hapaxanthae foliis planis petiolatis, in plantis novellis nondum florentibus versus apicem caulis fasciculatis subrosulatis, cyma laxa pluries dichotoma, calyce ad medium usque 5—12 fida, petalis carpellisque aequinumeris.

Habitus Sedorum foliosorum.

Typus hujus sectionis est S. annuum Chr. Sm. (Aichryson dichotomum Webb Phyt. I. Tab. 27.).

Sect. II. Goochia.

Fruticuli perennes foliis parvis plerumque dorso convexis in apice ramulorum sterilium fasciculatis seu glomerato-rosulatis, more *Sempervivi globiferi* aut *montani* L. (S.) *corymbis* cymosis brevibus complanatis (more Sempervivorum Europaeorum aut *Sedi reflexi*) saepe foliatis, calyce ad medium usque 6—12 fido petalis carpellisque aequinumeris.

Typus hujus Sectionis in Teneriffa vulgatus est S. Lindleyi (Aeonium Webb Phyt. I, Tab. 33.), sed ad eundem pertinent

S. cruentum (Aeonium Webb) Palmae Phyt. I. 28.

S. Goochiae (*Aeonium* Webb) Palmae. Phyt. I. Tab. 32. et S. viscatum Gomerae floribus rubris insignia.

S. strepsicladum (Aeonium Webb Phyt. I. Tab. 31) et

S. Smithii Sims. montium Teneriffae; etiam

S. coespitosum Chr. Sm.

montium Canariae, foliorum ciliis pectinatis longis singulare.

S. Masferreri Hillebr. in Annal. hist. nat. madrit. IX. 1. Mai 1881 137, cujus specimina spontanea (Buenavista Teneriffae prope mare 26. Mai 1879 et culta in Herb. inventoris prostant) valde memorabile columna centrali floris elevata cui carpella sunt inserta, dehiscentia insolita carpellorum quorum pars superior pyxidiorum more circumscisse secedit, necnon calyce extus cera alba obducto.

Hujus Sectionis species aliquot (e. gr. *S. Smithii* et *Lindleyi*) in pagina foliorum inferiore gaudent glandulis sive receptaculis gummiferis magnis oblongis plus minus numerosis longitudinaliter positis profunde in folii massam immersis rufis aut brunneis.

S. Smithii Sims. inter omnia maxime memorabile ramis barbatis, i. e. pilis in parte novella et hornotina rami raris et brevibus, sed in parte efoliata vetustiore creberrimis patentibus $1/2$ ad 1 cent. longis simplicibus acuminatis primum albo-pellucidis deinde rufis, ita ut hos pilos magna ex parte etiam anthesi peracta foliisque ablatis ex epidermide turgida nasci mihi probabile sit.

S. barbati (Chr. Smith) barba omnino diversa, si adest. Uti docet Ic. Phyt. I, Tab. 30, de radicellis ramosis terram petentibus, non de pilis agitur. In speciminibus meis Bourgaeanis S. barbati haec barba ceterum plane deest.

Imo **S. radicescens** (Aichryson Webb) ex descriptione nec non Greenoviae aliquot Webbii synopseos ineditae.

Sect. III. Aeonium (Webb ex parte, remotis speciebus sectioni priori insertis).

Frutices subacaules stoloniferi rarius caulescentes foliis planis magnis rosulas amplas imbricatas radiatas (more *Saxifragae Cotyledonis* Jacq.) efformantibus, paniculis aphyllis pyramidatis elatis ramis cymosis, cymis saepe regulariter 2 aut 3 fidis (more *Echiorum canariensium*) calyce usque ad medium 6—12 fido petalis carpellisque aequinumeris.

Typi hujus sectionis sunt tres:

a. Canariensia.

Omnium principes, paniculis elongato-pyramidatis elatis rosulis latissimis, quorum typus

S. canariense L.

b. Urbica.

Paniculis latioribus, humilioribes.

S. urbicum Chr. Smith. Phyt. I. Tab. 29.

S. Haworthii Webb Teneriffae Teno l. b. Hillebr. Phyt. I. Tab. 34.

S. glandulosum Ait. Maderae.

S. glutinosum Ait. Maderae.

c. Holochrysa.

Caulescentes, parviflorae sed panicula myriantha densiflora, elongata.

S. holochrysum (Aeonium Webb Teneriffae).

S. Manriqueorum Bolle Canariae.

Sect. IV. Greenovia Webb.

Suffrutices facie Sectionis prioris sed calycis laciniis ad basin usque incisis, petalis carpellisque numerosis (28—32).

S. aureum Chr. Smith. Phyt. I, Tab. 36.

S. dodrantale Willd.

Umbilicus L.

U. Heylandianus Webb.

In Synops. ined. Webbius hanc speciem ad genus Candollei Grammanthem hucusque mere austro-africanum ducit eique novam Sectionem asserit:

»Hesperostachys Webb syn. ined.«

»Caulis simplex, folia sparsa, flores spicati, corolla calycem longe ex-« »cedens. Stigmata ad apicem carpidiorum sessilia.«

U. horizontalis DC.

Hab. In Phytogr. omissa, in Teneriffae altioribus minime rarus:

Prope Villaflor Hillebr. 1882.

»S. Diego del monte (Bourg.) Barranco Santo y del Bufadero (Bolle)« »Canaria (Déspr.).«

Tillaea L.

T. muscosa L.

A Phyt. Can. in Canaria solum indicata.

Hab. Puerto de Orotava ego et Hillebr. Retro S. Cruz, Bolle.

Portulacaceae.

Aizoon L.

A. canariense L.

Planta in littore insularum vulgata in siccissimis Gr. Canariae formam peculiarem uti dicam deserticolam induit: nanam, densissimam, ramis aequilongis brevibus flexuosis. Solis ardoribus siccata, praebet similitudinem Anastaticae exhaustae.

Rosaceae.

Alchemilla L.

A. arvensis L.

Hab. A Webbio in Palmae altissimo jugo Cumbre nueva indicata, a b. Hillebr. etiam in Gr. Canariae monte Pico de Osorio etquidem multo humiliori lecta.

Rosa L.

R. canina L.

v. biserrata Mérat.

Forma Palmensis. *R. canina* L. v. *Armidae* Webb in Bourg. I. 352.

Frutex uti videtur demissus, valde ramosus, ramis brevibus omnino inermibus, foliis confertis glaberrimis petiolo aculeis brevibus aduncis instructo glanduloso, foliolis late ovatis obtusis profunde bisserratis dentibus maximis margine glandulosis, pedunculo urceolo immaturo paulo breviori, eglanduloso, urceolo ovato ad apicem in collum contracto laevi, sepalis caducis in meo spec. deficientibus.

Formae in Europ. merid. vulgatae simillima, sed ob staturam pumilam et confertam habitum *Rosae glutinosae* Sibth. praebens.

R. Armidae Webbii Phyt. can. ex descriptione potius Rosam vestitam quandam sistere videtur.

Hab. Cumbre de Garafia Palmae Bourg. Aug. 1845.

Onagraceae.

Epilobium L.

Praeter species in Phytographia citatas b. Hillebr. in Canariis collegit sequentes a cl. Barbey benevole recognitas:

E. obscurum Schreb.

Hab. In ruderatis Villa de Orotava Teneriffae.

E. tetragonum L.

Hab. Agua mansa Teneriffae.

Leguminosae.

Adenocarpus DC.

A. viscosus Webb.

Foliolis minoribus, crassiusculis, calyce glanduloso-pubescente, leguminibus glandulosis, et

A. foliolosus Ait.

Foliolis majoribus tenuibus, calyce lanato-villoso, leguminibus minus glandulosis species proximae formisque quasi intermediis inter se junctae. Prostant specimina calyce levissime ac ne vix quidem lanato, leguminibus bene glandulosis foliolisque parvis, quae difficillime ad unam alteramve speciem redigenda.

Webb Phyt. II. 32 talia specimina ad var. β glabrescentem Ad. foliolosi suam duxisse videtur. Ego potius hybridas formas suspicor.

Hab. Icod de los Vinos et Barranco supra S. Ursula Teneriffae l. b. Hillebr.

A. viscosi egregia var. est haec:

β. spartioides Webb l. cit., foliolis duplo et triplo majoribus, longius (2—3 mm) petiolatis, densissime fasciculatis.

Hab. Palma Ins. in subalpinis l. cl. Bolle.

Obs. Prostat in exsicc. Asken. planta humilis, alpina, e radice valde lignosa caules spithameos emittens, foliis remotiusculis *Adenocarpo viscoso Frankenioidi* similibus sed multo majoribus; foliolis latioribus, tota planta pilis adpressis fulvis micantibus densissime vestita, nondum florens, ulterius requirenda, verosimiliter spec. nova.

Hab. Guajara, jugum altissimum Teneriffae ad alt. 2500 m. s. m. l. Askenasy Jun. 1882.

Cytisus L.

C. prolifer L. fil.

v. palmensis nov. var.

Omnibus partibus major, laxior, glabrior, foliolis oblongo-ovatis saepe obtusiusculis atroviridibus, pube nitido sericeo fere destitutis.

Hab. Spontanea in Ins. Palma ad sylvarum margines supra Barranco Carmen! et Dolores! mart. 1884 fl. et fruct. immatur. Incolis »Tagasaste«.

Colitur frequentissime ad aedes et secus vias sub eodem nomine vernaculo in Ins. Teneriffa, pabulum bestiis domesticis gratissimum.

Typus, per regionem subalpinam Teneriffae vulgatissimus, habitu alienus, foliis minoribus lanceolatis acutis densissime sericeo-argenteis, incolis »Escobon« auditur, et a planta culta Palmensi Tagasaste vocata ab iis accurate distinguitur.

v. Canariae nov. var.

Minor praecedenti, foliolis latissime ovatis apice rotundatis, adpresse sericeo-cinereis, floribus brevius pedunculatis, multo minoribus, calycis dentibus brevibus late ovatis, corolla valde abbreviata vexillo latissimo vix reflexo.

Hab. Canaria Asken. 1882.

Genista L.

Sect. Teline Med. (apud Webb Phyt. II. 34 pro genere proposita ab eodem in Bot. mag. 1845. 4195 renegata.)

G. candicans L.

β. *subspicata* Webb.

Var. a typo mihi in agro Tingitano obvia spicis densissimis numerosis lateralibus et terminalibus, foliis numerosissimis, foliolis multo minoribus recedens, habitu aliena, *G. canariensem* Webb aemulans, sed aliis characteribus non diversa.

Hab. Agua mansa Teneriffae l. Wildpret et Askenasy.

G. ramosissima Webb.

var. *discolor*.

G. discolor Webb Bot. mag. l. cit.

A typo spicis elongatis calyce pilis longis albido-micantibus lanato, nec breviter pubescente recedens, Genistaeque *canariensi* aliquantulum accedens. An hybrida?

Hab. Laguna: Barranco del Drago Teneriffae cl. Bolle feb. 1852.

Obs. *G. ramosissima* praeter corollae discrimina a *G. canariensi* Webb., Phyt. II 38 an L.? proxima pube omnium partium teneri adpressaque nec patula, foliolisque supra calvis nec pilosis, calyceque breviter pubescente nec albido et strigoso hirsuto, vexillo latissimo nec ovato bene diversa.

G. Hillebrandii nov. spec.

Ramis virgatis laxis elongatis, haud confertis uti in *G. canar.* et *ramosissima*, novellis strigoso-puberulis pube brevissima patenti, foliis remotiusculis, iis specierum duarum confinium jam citatarum majoribus, longius 2 ad 3 mm petiolatis, foliolis elongato-obovatis obtusis seu acutiusculis basi attenuatis supra calvis infra pallidis sublanatis, floribus parvis angustis facie *G. pilosae* L. infra axillaribus solitariis, versus apicem ramorum spicatis, spicis laxis elongatis, bracteis bracteolisque lineari-lanceolatis, calyce pubescente, vexillo ovato vix puberulo, alis ovato-elongatis extus pube micante vestitis, carina apice rotundata brevioribus, legumine immaturo lineari-lanceolato 12 mm longo viridi leviter pubescente.

A *G. canariensi* habitu laxo, pubescentia minori nec villosa, foliis majoribus angustioribus, petiolis longioribus recedens.

G. Spachiana Webb Bot. mag. 1845, 4195 cui proxima etiam laxa differt pube »ascendente« non patente floribus omnibus spicatis terminalibus, foliolis lanceolatis acuminatis.

Hab. Montaña de Galdar Gr. Canaria l. b. Hillebr. et cl. Askenasy Apr. 1882.

Lathyrus L.

L. Ochrus DC.

Hab. A Phytogr. II, 110 ex antiqui Broussonetii auctoritate indicatus, Webbio non visus. Barr. de la Villa de Orotava Mrt. 1884! Canaria Asken.

Medicago L.

Species florae Canar. cl. Burnat et Gremli benevole ita recensuerunt:

1. M. arborea L. Phyt. II, 61.
2. M. orbicularis L. eod.
3. M. obscura Retz.
   var. Helix Willd.
   α. lusus inermis Lowe Mad.
      Hab. Orotava Hillebr. 1881.
   β. lusus spinosus Guss. *M. canariensis* Benth. in Phyt. Can. Tab. 56.
4. M. littoralis Rhode.
5. M. Echinus DC., *M. intertexta* All. Phyt. can. II, 62.

6. M. laciniata All. eod. 63.

7. M. hispida Grtnr.

v. denticulata (*M. denticulata* Wlld.) eod. 64.

v. pentacycla (*M. pentacycla* DC.) eod.

8. M. minima Wlld.

9. M. tribuloides Désr.

Trifolium L.

T. maritimum Hds.

Hab. Ins. Palma. Sauces. l. Hillebrand.

Lotus L.

Sect. Pedrosia (Lowe man. II, 116 pro genere).

Pedrosiae genus minime agnoscendum, sed sectionem merito constituere videtur minus ob calycem, qui haud quinquepartitus uti vult b. Lowe, sed solummodo profunde quinquelobus, quam ob stylum appendice laterali dentiformi praeditum habitumque fruticuli.

L. Hillebrandii sp. nov.

Fruticosus, excepto *Loto spartioidi* Webb omnium maximus, caulibus rigidis e radicis collo pluribus erectis 30 ad 40 centim. altis sublignosis ramosis ramis erecto-patentibus elongatis subsimplicibus, tota planta pilis patentibus densis villosa, subcinerea, stipulis difformibus rotundato-ovatis, petiolo sublongioribus, foliis opacis pallide virentibus petiolatis, petiolis latiusculis 2 mm longis, foliolis lanceolato-cuneatis, ad basin attenuatis obtusis seu emarginatis, infimis 4 superis 3 mm longis; floribus in capitula 4 ad 6 flora non foliata redactis, capitulis longissime pedunculatis pedunculis crassis erectis terminalibus seu in apice ramorum binis raro pluribus, floribus subsessilibus erecto-patentibus demum patulis iis *L. arenarii* paulo majoribus, calyce striato setoso-piloso, profunde (ultra medium) dentato dentibus angustissimis subulatis, corolla flava, vexillo dorso calvo nec picto nec rubore colorato, ovato-oblongo ceteris petalis admodum longiore, carina angusta lanceolato-lineari acuminata nitida, alis oblongis, leguminibus immaturis 10 ad 12 millim. longis, linearibus inter semina constrictis glaberrimis, stylo longissimo dentifero coronatis.

L. spartioides Webb Phyt. 81 differt statura altiore diffusa, foliolis minoribus sericeis linearibus stipulis conformibus, pedunculis tenuibus paucifloris, capitulis folio trifoliato suffultis.

L. arenarius Brot. differt caule decumbente foliolis obovatis pube breviori, calycis dentibus lanceolatis vexillo breviore, legumine minus nodoso.

Hab. in Barranco de Angustias Ins. Palmae Ap. 1880 detexit b. Hillebr., qui in schedula notavit:

»affinis *L. spartioidei* Webb et *arenarii* Brot., erectus.« Egregium Palmae decus omnium specierum floridissimus, statura praestans.

L. glaucus Ait.

Lowe man. II, 177 L. glaucum Canariis Insulis deesse ibique duas species affines ejus vicem tenere censet: L. tenellum patenti-villosulum latifolium, in Teneriffa

occid. vulgarem, et L. leptophyllum adpresse puberulum angustifolium, in Phyt. Can. Tab. 61 depictum, stirpem Canariae Magnae proprium.

Repperi utramque formam, accurateque inter sese nec non cum vero L. glauco Maderensi comparavi, mihique uni eaedemque speciei attribuendae vixque pro varietatibus habendae. Specimina pleraque Nivariensia magis pubescentia, sed sublaevia minime desunt, formaque foliorum hic latiorum illic angustiorum egregie variat.

L. dumetorum Webb (Bourg. exs. It. I, 803, It. II, 1321, 1322, ex Lowe Man. fl. Mad. II, 176 species indescripta L. glauco Ait. valde affinis mihi nil nisi L. glauci forma valde luxurians et robusta, saepe triflora, foliolis majoribus sparse adpresseque pilosis, calyce profunde dentato.

Hab. Taganana et Bufadero Teneriffae Bourg. cit.

Verum L. glaucum, ab autoribus Webb et Schmidt Insulis capitis viridis attributum hoc ex archipelago non vidi.

Clari C. Bolle liberalitati Lotorum debeo rarissimorum copiam ex istis insulis, frondositate a canariensibus diversorum: L. Jacobaeum L., L. coronillaefolium Wbb., L. Brunneri Wbb., L. purpureum Wbb. et quintum, a cl. inventore in schedula »L. glaucum H. Kew« nuncupatum, qui re vera longe differt speciemque novam sistit:

L. Bollei nov. spec.

Planta glaberrima glauca, caule suffruticoso elato (40 centim.) longe laxeque ramoso, habitu Medicaginem magnam referente, foliis longe petiolatis, petiolis foliolis longioribus foliolis late obovatis retuso-emarginatis seu obcordatis, 8 mm longis, 6 mm latis, stipulis petiolo brevioribus rotundato-ovatis, pedunculis axillaribus longissimis 1—2 floris, floribus foliolis 1—2 suffultis, parvis, calycis dentibus lanceolatis, corolla parva flava *L. glauco* subsimili, legumine inter Pedrosias longissimo 4—5 cm longo) 20—30 crasso tereti nec moniliformi nigrescenti laevissimo, seminibus minutis reniformibus compressiusculis brunneis opacis.

Lotus Brunneri Webb, qui inter Pedrosias Caboverdicas proximus, differt pube sericea foliolis brevius petiolatis elongato-ovatis mucronulatis pedunculis plurifloribus, legumine breviore.

Conf. Webb Spic. Gorgon. Reg. 119 et Tab. 3.

Hab. Monte Verde Ins. S. Vincent Caboverd. Bolle 1852.

Lotorum canariensium, difficillime exactis diagnosibus circumscribendorum clavis addatur:

A. Caulibus prostratis debilibus filiformibus, foliolis parvis subsessilibus, pedunculis filiformibus internodiis paulum longioribus:

1. L. glaucus Ait. foliol. minimis obovatis pubescentibus pedunc. paucifloris (1—2) longiusculis.
2. L. Lanzerottenis Webb foliolis latis majoribus saepe albido-sericeis pedunculis brevibus 1—4 floris.

B. Caulibus dumoso-decumbentibus apice adsurgentibus seu erectis pedunc. longis plurifloribus:

a. foliis petiolatis

3. L. arenarius Brot. suffruticulosus foliolis, pubescentibus late obovatis majoribus stipulis latioribus, capitulis floralibus aphyllis.

4. L. campylocladus Webb suffruticulosus foliolis, minoribus cuneatis stipulis latioribus, capitulis floralibus aphyllis.
5. L. Hillebrandii caulibus fruticosis erectis, foliolis oblongis stipulis latioribus, capitulis floralibus aphyllis.
6. L. spartioides Webb caulibus elatis fruticosis suberectis, foliolis anguste lanceolatis stipulis conformibus capitulis floralibus foliolatis.

b. foliis sessilibus seu subsessilibus stipulis conformibus.

7. L. sessilifolius DC. suffruticulosus foliis pubescentibus sessilibus linearibus.
8. L. holosericeus Webb foliis subsessilibus sericeo-villosis, lanceolatis.

Heinekenia Webb ex parte.

Petalis etiam vexillo longe acuminatis, vexillo lineari subfoliaceo, carina caeteris petalis multo longiore rostrata, filamentis 1 libero 9 basi connatis quorum 4 brevioribus, 5 longioribus, his sub antheram urceolato-dilatatis — in Pedrosiis solummodo dilatatis — inflorescentiis fasciculatis, pedunculis capituli floralis foliis brevioribus, foliolis sessilibus stipulisque conformibus uninerviis filiformibus subverticillatis, corolla purpurea.

Caetera Loti. Florum habitus Clianthi.

Heinekeniae nomen primum a b. Webb Phyt. II, 86 pro Loti sectione, unum Lotum arabicum L. continente adhibitum, sed postea in schedulis ad plantas Bourgaeanas Itineris II, 1855, No. 1319 ad generis peculiaris ordinem promotum, nostrae plantae soli adaptatum, hoc ultimo sensu nunc a nobis — certe haud immerito - receptum.

H. peliorhyncha Webb apud Bourgeau It. l. cit.

Lotus Berthelotii Hillebr. apud Masferrer Recuerd. 160.

Foliolis lineari-subulatis 15—20 mm longis, $^1/_3$ mm latis, dense et adpresse argenteo-sericeis, calyce hirsuto. Corolla laete purpurea carina sanguinea.

Hab. a H. de la Perraudière in mont. Teneriffae merid. in pineto Tamadaya supra Arica lecta, incolis jam dudum sub nomine Pico de Paloma i. e. rostrum palumbis nota, nunc in hortis Orotavae e. gr. Marchionissae de la Quinta culta, ubi murum pulvinis argenteis floribus veluti cruore adspersis late pulcherrimeque obtegit.

var. subglabrata.

Lotus Berthelotii β subglabrata Hillebr. apud Masferrer 161.

Foliolis filiformi-setaceis 12 mm longis, $^1/_4$ mm latis, puberulis et subglabris virescentibus, calyce glabrato nigro-striato, corolla minore, vexillo carinaque brevioribus angustioribus. Corolla dilute sanguinea carina atropurpurea.

Hab. In rupibus supra La Florida Vallis Orotavae Teneriffae occid. a b. Hillebr. ex ipso lecta, sed in ejus herbario desideratur. Culta in horto

de la Quinta cum typo, ambae jam ineunte Aprili innumeris floribus onustae, sed steriles, quia insecta regionum natalium pollen propagantia desunt.

A Pedrosiis proxime Heinekeniae accedit *Lotus Loweanus* Webb Porto-Sanctanus, sed differt vexillo late-ovato nec loriformi.

Convolvulaceae.

Convolvulus L.

Sect. Rhodorrhiza Webb.

C. floridus L. fil.

v. densiflorus nov. var.

Recedit foliis glabrescentibus ad apicem ramorum brevissimorum fasciculatis, typo brevioribus sed duplo latioribus ($^1/_2$ ad 2 cm) lanceolato-rhombeis apice rotundatis, panicula abbreviata 6 cm longa foliorum fasciculo tertia parte superante, pyramidali, densissima, alabastris et floribus sese tangentibus ramis paniculae secundariis vix 1 cm longis, pedunculis florum superiorum 2—3 mm longis, flore supremo cujusque ramuli sessili, corolla minori.

Typus multo major, elatior, foliis sericeo-pubescentibus angustioribus sparsis, panicula elongata 1 ad $1^1/_2$ decim. longa laxa, patula, ramis lateralibus longis patentissimis.

Hab. Punta de Teno Teneriffae l. b. Hillebr.

Ipomoea L.

I. sidaefolia Choisy (Syn. *Convolvulus* H.B.Kth., *C. domingensis* Désr., *Legendrea mollissima* Webb Phyt. III, 27).

Hab. e Teneriffae Sitio Pardo Portus Orotavensis, *Periplocae laevigatae* Ait. nunquam cultae inhaerentem, haud cultam misit nuperrime (1887) cl. Julia Honegger. Folia glabra, sed caulis ad basin pubescens.

Jam a Broussonnet et Courant teste Choisy in Teneriffa, et a Despréaux in Canariae regione el Dragonal lecta. Flores ochroleuci parvi, haud spectabiles, ita ut potius pro indigena quam pro hortensi eam haberem. Etiam cl. Julia Honegger per epistulas nuperrime hanc plantam in hortis nunquam coli et plene spontaneam esse me certiorem fecit. Quoad disjunctas sedes *Boseam Yervamoram* L. etiam americanam, canariensem indicamque refert. Vidi in Herb. Candolleano specimen Broussonnetii authenticum, ann. 1807 lectum, ad amussim cum mea planta conveniens. Vidi eodem specimina varia zeylanica (*Ip. ceylanicam* Moore) et americana (e regno Mexicano l. Berlandier, e Caracas l. Vargas) aeque congruentia, si folia acutiora excipias.

De Legendrea *Ipomoeae sidaefoliae* mere synonyma haec dicam:

Quum planta mea Orotavensis mirum in modum Legendream istam uti dicam fabulosam recentioribusque nunquam visam referat, quumque jam b. Désfontaines teste cl. C. Bolle (Bonpl. Mrz. 1861 p. 53) Legendream Convolvulumque domingensem unam eandemque speciem esse suspicaretur, amicum cl. Caruel rogavi, ut denuo specimina Preauxiana Webbianaque in Museo florentino asservata inspiciat.

Ecce Carueli nota benigne mihi tradita:

»Il y a dans l'herb. Can. de Webb 2 exemplaires de Legendrea mollissima, un à feuilles très-velues sur les 2 faces, l'autre les a moins velues sur la face supérieure, tous deux en ont près de l'inflorescence de presque glabres, ou même de tout à fait glabres; 3 autres ex. cultivés à Ténériffe ont l'un toutes les feuilles presque glabres, les 2 autres tout à fait, et l'un de ceux-ci porte l'étiquette de la main de Webb

Legendreae mollissimae affinis sed glabra.«

»Il est de toute évidence qu'ils appartiennent à la même espèce.«

Ne quid dubii restat, CARUELIO mea specimina Honeggeriana Ipomoeam sidaefoliam certissime sistentia misi, ut ea cum *Legendrea* herbarii florentini compareat. Ecce indefessi amici responsum:

»C'est exactement la plante de l'herb. WEBB, forme glabre«,

ita ut certo certius haec appareant:

1. Legendrea genus oblivioni esse tradendum.
2. Legendream mollissimam Webbii, Ipomoeae sidaefoliae esse adscribendam, si vis pro varietate, foliis obtusioribus latioribus saepe villosis insigni.

Borragineae.

Messerschmidia L.

M. fruticosa L.

Nomen vernaculum »Duraznillo« id est Persica pusilla non, uti vult DECAISNE in Phyt. III, 39 a foliis desumptum, sed a nuculis, quae fossis cristisque cum Persicae nuce haud male conveniunt.

v. angustifolia DC.

Foliis exacte cum icone Phyt. tab. 143 conveniens, pustulis albis numerosissimis variae magnitudinis sub lente nitentibus.

Hab. Buena Vista Teneriffae I. Hillebr.

Echium L.

Conspectus specierum endemicarum canariensium et maderensium:

I. Simplicia.

Subacaulia, simplicia, rosulata, hapaxantha, paniculis terminalibus longissimis.

1. E. simplex DC.

Rosula maxima, 3 decim. lata, foliis amplis ovatis; incano-sericeum pilis strigulosis adpressis nec pustuloso-bulbosis, panicula bracteata, gigantea, cicinnis bifidis aut ramosis brevibus densifloris, calyce minuto corolla triplo breviori, floribus albis.

Hab. Teneriffa.

2. E. Pininana Webb Phyt. III. 44.

Foliis late lanceolatis, amplis; strigoso-hispidum viride pilis patentibus bulbosis, panicula gigantea foliata, cicinnis elongatis, ramosis, calycis lobis latis, floribus purpureo-coeruleis.

Hab. Palma.

3. E. callithyrsum Webb in sched. Bourg. It. I. 432.

Foliis lineari-lanceolatis; strigoso-puberulum, minute et dense pustulosum, panicula elata densissima acute conica foliata, cicinnis brevibus ramosis densis arrectis, densifloris, calyce minuto corolla duplo vel triplo breviori lobis linearibus, floribus coeruleis.

Hab. Canaria.

4. E. Auberianum Webb Phyt. III. 12. (syn. E. Bourgaeanum Webb in sched. Bourgeau it. II. 1436.).

Foliis longe acuminato-lanceolatis; hispidissimum, pilis longis fulvis strigosis non bulbosis, foliis imis radicalibus parce pustulosis, panicula

elata foliata laxa cicinnis remotis longe pedunculatis bifidis densifloris calycis lobis lanceolato-linearibus corollam partim subaequantibus staminibus corollae lobos parum superantibus. flor. caeruleis.

Hab. Teneriffae reg. Alp.

II. Virescentia.

Fruticosa ramosa, foliis ad apicem ramorum fasciculatis, paniculis terminalibus longis pyramidalibus bracteatis, cicinnis densis.

5. E. virescens DC.

Elatum foliis ovato-lanceolatis nervosis; cinereo-virens, molliter subvelutinum, pilis brevibus parce et minute pustulosis, cicinnis simplicibus densifloris, floribus coeruleis.

Hab. Ins. canar. praecipue Teneriffa.

v. angustissimum C. Bolle in sched.

Typo multo minor, foliis lineari-lanceolatis, $^1/_2$ cm vix latis, acuminatis infra cinereo-pubescentibus, supra minutissime pustulosis, virentibus, panicula angusta elongato-conica laxa nec late pyramidali cicinnis brevissimis, floribus dimidio minoribus, ex cl. inventore carneis.

Hab. Barranco del Cuervo prope Chasna, in Teneriffae merid. regione subalpina, ad latera montis de Teyde 1856 (I. Bolle).

6. E. nervosum Ait.

Praecedenti simillimum sed argenteo-album, minime pustulatum, densissime foliatum, foliis nervis lateralibus longissimis parallelis, infra valde prominentibus supra profunde sulcatis.

Hab. Madera.

7. E. candicans L. fil.

Duobus praecedentibus simile, sed foliis laxioribus latioribus strigosis opacis, incanis, supra hirsutis pilis patentibus et saepe pustulosis, infra griseo-pubescentibus.

Hab. Madera.

8. E. bifrons DC. Brevissime et adpresse sericeum, non pustulosum, in inflorescentia hispidum, foliis inferioribus ovato-oblongis, supremis angustis patentibus, cicinnis ramosis floribus densissimis minimis coeruleis.

Hab. Palma.

v. Hierrense, (E. Hierrense Webb in sched. ad Bourgeau it. II. 1440 et Coss. Bull. Soc. France 1861) albidius, foliis supremis conformibus, inflorescentia non hispida sed sericeo-villosa.

Hab. Hierro.

9. E. onosmaefolium Webb, Phyt. III. 46.

Humile, foliis lineari-lanceolatis, virens, strigoso-hispidum, pilis pustulosis, ad foliorum bractearum calycisque margines ramulosque aculeatis, cicinnorum panicula conferta foliata, floribus albis subtubulosis.

Hab. Canaria mont.

III. Gigantea.

Fruticosa ramosa, foliis confertis aut sparsis, non rosulatis, paniculis brevibus ovatis foliis duplo solum longioribus, floribus albidis.

10. E. aculeatum Poiret.

Foliis linearibus cinereo-sericeis infra nervo mediano solo prominente, margine et nervo mediano infero calycisque lobis aculeato-ciliatis, cicinnis ramosis, panicula densa brevi foliata, calycis lobis linearibus corolla subaequilongis, floribus albis.

Hab. Ins. canar.

v. leucophaeum Webb in sched. Bourgeau It. I. 466 II. 1438. cicinnis subsimplicibus, foliis setis aculeatis plerumque carentibus.

11. E. giganteum L.

Foliis lanceolatis in petiolum attenuatis; incano-sericeum, pilis raris bulbiferis nec aculeatis panicula densa foliata brevi, calyce corolla breviore calyce corolla breviore lobis lanceolatis, floribus albis.

Hab. Ins. canar.

12. E. Decaisnei Webb Phyt. Sct. III. 49.

Foliis anguste lanceolatis subtus nervo medio solo prominente; viride pube carens, sed setis pustulosis adspersum, panicula foliata laxa, lata, cicinnis simplicibus longe pedunculatis.

Calyce corolla breviori, lobis late ovatis. Floribus lacteis nec caerulescentibus uti in Phyt. con. l. cit. erronee dicitur (confer Spicileg. Gorgon. ejusdem Autoris 156.)—

Hab. Canaria.

IV. Stricta.

Fruticulosa, ramosa, foliis sparsis, ovato-lanceolatis, viridibus, cicinnis axillaribus ramosis, apice solummodo in paniculam laxam convergentibus, floribus coeruleis.

13. E. strictum L. fil.

Typus strigoso-hispidus, ramulis dense hispidis, floribus majoribus, calyce corollam subaequante.

v. lineolatum. (E. lineolatum Jacq.).

Habitu molliori, pubescens, pilis mollioribus, rarioribus, floribus minoribus, calyce corolla breviori.

Hab. Ins. canar.

Scrophulariaceae.

Scrophularia L.

S. Teucrium nov. sp.

Stricta, erecta, caule purpureo, subtetragono angulis infra acutis, jam infra medium ex axillis foliorum ramoso, ramis virgatis erecto-patentibus, superioribus elongatis, pilis albis parce pubescentibus, foliis omnium specierum atlanticarum, *S. Anagae* C. Bolle excepta, facile minimis, ea *Teucrii Scorodoniae* referentibus, internodiis brevioribus, cum petiolo $4\frac{1}{2}$ cm longis, (petiolo $1\frac{1}{2}$ cm metiente) late ($2\frac{1}{2}$—3 cm) ovatis, basi subcordiformibus, apice acutiusculis, dense sed breviter serrato-crenatis, dentibus

foliorum principalium minute denticulatis, caeteris simplicibus, pagina superiore foliorum glabrescente sub lente breviter pubescente, inferiore densius strigoso-hirta, panicula elongata, laxa, cymis patentibus, ramoso-dichotomis, 6—10 floris supra decrescentibus paucifloris, ramis praeter paniculam centralem paniculas minores proferentibus, paniculis exfoliatis sed bracteis linearibus acutis subintegris pedunculis brevioribus suffultis; pedunculis glanduloso-puberulis, tenuibus, floribus capsulisque iis S. Langeanae (C. Bolle, Verh. bot. Ver. Wien 1861 3. Apr. S. Smithii Webb, Phyt. III. 132 nec Hornem.) dimidio minoribus, calyce glabrescente lobis rotundatis viridibus anguste pallide marginatis, corolla brunneo-rufa calyce duplo longiore labio superiore rotundato emarginato inferius valde superante, stylo capsula breviori, capsula matura glabra globose pyramidata acuminata.

Quoad partium floralium magnitudinem pedunculosque tenues cum *S. Scorodonia* L. Maderensi convenit, sed folia stipulaeque hujus speciei omnino diversa: nempe folia elongato-oblonga, valde cordata, profunde bidentata, folium Betonicae referentes: inde a Linnaeo in Mantissa optime *S. betonicaefolia* baptizata! —

S. Anagae C. Bolle l. cit. glabritie omnium partium, foliis brevius petiolatis paniculisque densioribus aliena.

S. Langeana C. Bolle differt foliis duplo plusque majoribus longioribus profunde subtus valde hirsutis grosseque crenato-serratis dentibus manifeste iterum, plerumque tridentatis, pedunculis duplo crassioribus, partibus floralibus egregie majoribus, corolla calyce triplo longiore, ampla.

S. Smithii Hornem. ex C. Bolle cit. non satis nota ex Langei descriptione differre videtur panicula contracta, corolla longiore, foliis majoribus egregie biserratis.

Hab. Barranco del Valle Ins. Teneriffae 23. Mai 1879 l. b. Hillebr.

S. glabrata Ait.

Hab. Ab auctoribus pro planta alpina habetur sed cl. Hillebr. plantam legit in regione laurifera necnon in calidissimis maritimis Teneriffae:

Barranco del Valle 23. Mai 1879.

Agua Mansa 20. April 1879.

Malpais de la Rambla 29. Mai 1879.

S. arguta Ait.

Inveni ad basin plantae spontaneae in ipso oppidulo Icod de los Vinos Teneriffae lectae turiones istos subterraneos, flores fructusque clandestinos ferentes, de quibus cl. Bolle l. cit. beato Durieu duce fatur. Ex imis nodis plantae eque collo radicis cymae elongatae, irregulares, pauciflorae ortae deorsum crescunt ibique inter scorias inque arena capsulas jam maturas more Arachidis Trifoliorumque quorumdum proferunt, dum cymae caulinae vix ac ne vix quidem florere coeperunt. Idem etiam in specimine a cl. Bolle mihi donato ex Handia Ins. Fuerteventura manifestum etsi a cl. inventore non visum.

Verbenaceae.

Verbena L.

V. bonariensis L. Bolle in Bonpland. 1860. 286.

Hab. Cl. Bolle subspontaneam plantam suspicatur, sed mihi indigena videtur. In Teneriffae asperis et incultis haud rara. Inveni in siccis Oro-

tavae retro villam Doctoris Perez, Hillebr. legit prope S. Bartolomé, Bolle et Bourgeau in convallibus Gomerae Hermigua et del Monacal, ubi certissime nec culta nec forte introducta.

Labiatae.

Lavandula L.

Lavandularum grex in Ins. Atlanticis varius atque mutabilis.

L. pinnata L. fil.

v. Buchii Benth.

L. Buchii Webb, Phyt. III. 58.

recte a b. Benthamio Prodr. DC. XII. 146 pro varietate *L. pinnatae* L. fil. habetur, quia differt solummodo bracteis (foliis floralibus) brevioribus. Folia nullo modo differunt. Prostat mihi specimen maderense *L. pinnatae* brevibracteae foliorum laciniis minime angustioribus quam in pl. nivariensi. In *L. abrotanoide* Lam. folia floralia aeque ludunt calyce breviora et longiora.

L. abrotanoidi × pinnata nov. hybr.

Cl. Bolle mecum communicavit sub *L. Buchii* nomine plantas tres, ad *Taganana* Teneriffae 1851 lectas, quarum una genuinam, duae quidem prolem inter *L. pinnatam* v. Buchii *Lavandulamque abrotanoidem* Lam. intermediam certissimeque hybridam sistunt.

Habitus *L. pinnatae*, sed praeter tomentum brevissimum albicans plus minus evanidum pilis numerosis pubescens, pedunculo infra spicam manifeste villoso, foliorum lobis multo angustioribus, inferioribus quoque latere 3 aut 2 lobis lobulis patentibus.

L. abrotanoides Lam.

a cl. J. Ball Marocc. pro varietate L. multifidae L. Baeticae habetur, quod minime probarem. *L. multifida* quam in rupibus Calpensibus legi affatim diversa est villositate molli, cauli a basi ad medium usque folioso internodiis numerosis, pedunculo multo breviori ideo habitu minus scaposo, lobis foliorum acutis nec rotundato-obtusis, foliis floralibus brevibus latissimis villosis nec ovato lanceolatis puberulis, calyceque dense tomentoso.

L. abrotanoides mere canariensis in Regno Maroccano desideratur, et L. acutiloba Ball. et Coss. Maroccana ab ea optime differt.

L. abrotanoides Lam. ludit foliis floralibus calyce brevioribus et longioribus: haec var. elegans Webb Syn. — L. elegans Désf.

L. foliosa sp. nov.

Mira planta cui cl. de Noë in sched. It. II. Bourgeau 1471 invita natura *L. Buchii* nomen imposuit.

Viridis, pilis strigosis brevibus parce pubescens, cauli elato, longe foliato, 5—6 vel pluribus foliorum paribus, internodiis 6 cm longis, foliis petiolatis pro genere amplissimis 8 cm longis 4 latis ambitu ovato-acutis a basi regulariter ad apicem attenuatis pinnatifidis rachide late foliacea (3 ad 4 mill); lobis infimis remotiusculis, tri-aut bilobis, lobulis acutiusculis lanceolato elongatis, superioribus integris pectinato-approximatis, terminali cuneato obsolete 2 aut 3 lobo; lobis latis (2 ad 3 mill) pedunculo

longissimo spicis ramosis, foliis floralibus ovato-oblongis iis *L. abrotanoideae* Lam. longioribus, calycis dentibus ovatis acutiusculis ciliatis.

Differt ab omnibus speciebus Atlanticis caulibus longe foliatis internodiis longis ideoque *L. pubescenti* Decaisne Arabiae proxima.

Insuper a *L. pinnata* L. fil. cui folii ambitu haud dissimilis tomento plane deficienti, sed pubescentia hirta recedit.

L. abrotanoides Lam. differt praeter folia ad basin caulis densius fasciculata foliis ambitu late ovatis lobis lobulisque multo angustioribus, linearibus, obtusis remotioribus foliis floralibus late ovatis.

Hab. In Canariae magnae Valle de Tirajana in petrosis Bourgeau l. cit. 1. Mai 1855.

L. Minutolii C. Bolle in Bonpl. 15. Spt. 1860. 279.

Species optima, primo visu a *L. abrotanoide* pubescentia strigoso-albicante, foliis ambitu angustioribus trigonis, foliorum segmentis latioribus integerrimis pectinato-approximatis recedens.

Hab. In dicta caldera de Tirajana, plantarum rarissimarum tepidarium feracissimum nec adhuc exhaustum.

L. dentata L.

»Hab. In Canaria in rupibus siccis circa Mogan (Despréaux) in Gomera« »in incultis sterilibus loco dicto la Cantera (id.) in montosis siccis Hermi-« »guae (Bourgeau). In Lanzerotte ad pag. La Quemada et Sobaco (Bourg.)« »fl. Jan. Mart.« e Teneriffa Bourg. It. I et nuper H. Honegger.

Micromeria Benth.

M. hyssopifolia Webb, Phyt. III. 72 et tab. 154 nimis glabra caeterum optima.

Perperam b. Bentham Prodr. XII, 216 hanc plantam per Teneriffae reg. calidam vulgarem cum *M. varia* sua conjunxit. Est species optima, facillime a *varia* caulibus albido-hirsutis elatioribus, internodiis elongatis, cymulis remotis nec racemum densum efformantibus, foliis subsessilibus, lanceolatis, rigidis, crassis, margine usque ad nervum medium involutis, obtusiusculis, pilis albis brevioribus longioribusque intermixtis strigoso-incanis, calycibus incano-hirtis, dentibus brevibus tenuissimis, corolla alba vix exserta distinguenda.

M. varia Benth. ex parte syn. *M. thymoides* Webb, Phyt. Tab. 153 (foliis nimis angustis) gaudet caulibus hirtis brevioribus decumbentibus internodiis brevioribus, cymulis confertis racemum densum efformantibus, foliis tenuiter herbaceis saepe ad basin ramorum ovatis acuminatis, minus involutis, manifeste petiolatis, sub-pubescentibus vel potius subglabris pilis raris sparsis brevissimis, calycibus viridibus subpubescentibus dentibus latioribus, corolla exserta rosea.

v. angustissima C. Bolle in sched.

Fol. brevissime petiolatis fere sessilibus in apice ramorum confertissimis minimis anguste lanceolatis sed ob marginem involutum acicularibus, sublaevibus, calycibus brevioribus latioribus ovato-subinflatis dentibus longioribus. Habitus speciei propriae sed characteres distinctivi desunt.

Hab. In Canaria magna supra Tafira legi mense mart. 1884.

M. lasiophylla Webb, Phyt. III. 74 Tab. 156 B.

a Bentham l. cit. aeque errone ad *M. variam* reducta sistit plantam *M. hyssopifoliae*

subsimilem, sed omnibus partibus dimidio minorem albido-lanatam pilis patentibus, internodiis brevissimis calyce usque ad medium et ultra dentato.

Hab. extra Teneriffae reg. subalpina ubi indicat phytographiae auctor in jugis Palmae dictis La Cumbre supra Calderam cl. Bolle Aug. 1852.

Micromerias cl. de Noë in Webbii synops. ined. ita recensuit:

»1. M. tenuis Webb, Phyt. III. 75. T. 158 a.«

»Suffruticosa ramosissima ramis floribus erectis elongatis nodulosis« »fuscis superne cinereo-puberibus inferne denudatis, foliis sessilibus lineari-« »teretiusculis, margine revolutis plus minusve pilis rectis vel deflexis obsitis,« »cymulis longitudine foliorum, utrinque pedunculatis, laxe 2—3 floris,« »calycibus subsessilibus, tubulosis, pilis brevibus, crispis, subhirsutis labio« »superiore paulo longiore, ad secundam partem usque in 3 dentes lanceo-« »lato-ovatos acutos diviso, inferiori in 2 dentes lanceolato-subulatos partita,« »omnibus ciliatis, corollae tubo inclusa.«

»Hab. Canariae in rupestribus. Despr.«

»2. M. polioides Webb, Phyt. III. 76 T. 158 b.«

»Similis *M. tenui* sed calyce corollaque diversa, calycis vix 2 labiati« »dentibus omnibus subulatis, corollae tubo breviter exserto.«

»Hab. Canaria Despr.«

»3. M. lanata Webb, Phyt. III. 77 T. 160 a.«

»Suffruticosa basi ramosissima, ramis diffusis, dense caespitosis,« »intricatis, canescenti-tomentosis vel piloso-hispidis, foliis sessilibus lineari-« »oblongis, obtusis, margine revolutis, tomentosis, cymulis saepius longi-« »tudine foliorum utrinque pedunculatis, calycis ovati-tubulosi, dense lanati,« »vix 2 labiati dentibus omnibus brevibus, acutis, subspinescentibus, intus« »villosissimis, corolla parva vix calycem exedente.«

»Hab. Gr. Canaria, in mont. jugis circa convallem Tejeda. Prope« »Mogam et Tazarte (Smith. de Buch) ad Cumbre de Nublo (Bourg.)«

»4. M. Benthamii Webb, Phyt. III. 77 T. 160. a.« (lapsu calami, quia T. 160. a. sistit *M. lanatam.*)

»Suffruticosa tota plus minusve cinereo-lanata, ramis numerosis pro-« »cumbentibus, floriferis erectis, elongatis, foliis sessilibus, lineari-lanceo-« »latis, acutis, margine revolutis, vetustioribus patulo-recurvis, junioribus« »erectis, saepe in spicas cylindricas confertis, cymularum calyces breviter« »pedicellatos suboccultantibus, calycis tubulosi, vix bilabiati dentibus« »triangulari-subulatis, plumoso-ciliatis, corollae tubo exserto. Fl. lactei.«

»Hab. Canaria in rupibus altissimis Saucillo copiosissime, ad urb.« »Palmae raro.«

»5. M. helianthemifolia Webb, Phyt. III. 79 T. 162.

»Suffruticosa erecta ramosa ramis glabris crassiusculis subincurvo« »patulis foliis sessilibus, planis, rigidulis, omnibus oblongo-lanceolatis,« »margine revolutis, supra glabris, scabriusculis, subtus nervosis, cymulis« »axillaribus, folia paulo excedentibus, utrinque longe pedunculatis caly-«

»cibus elongato-tubulosis, coloratis, pubescentibus, conspicue 2 labiatis,« »labio superiore ad tertiam partem usque in 3 dentes breves lineari-subulatos« »diviso, inferiori in 2 dentes lanceolato-subulatos 2 fido, dentibus omnibus« »minute ciliatis, corollae tubo incluso, fauce inflato.«

»Hab. Canaria in rup. altissimis.«

»6. M. julianoides Webb.«

»Suffruticosa ramosa, ramis e basi procumbentibus demum erectis,« »uti et ramulis foliisque brevissime hirtis, foliis sessilibus fasciculatis« »lineari-teretiusculis, margine revolutis, cymulis utrinque breviter pe-« »dunculatis, 3—4 floris, folia subaequantibus vel foliis brevioribus, calycis« »ovato-tubulosi vix 2 labiati dentibus lineari-lanceolatis, subulatis, omnibus« »ciliatis corolla brevi calycem vix excedente. Fl. coerulei.«

»Hab. In altis Teneriffae.«

»7. M. varia Benth.«

»Suffruticosa ramosa ramis robustis vel gracilibus erectiusculis« »divaricatis vel diffusis hirtis vel glabrescentibus, foliis breviter petiolatis,« »ellipticis lineari-lanceolatisve, margine revolutis, cymulis multifloris plus« »minusve pedunculatis, calycibus ovato-tubulosis vel campanulato-tubu-« »losis vix 2 labiatis, dentibus brevibus acutis corollae tubo saepius incluso« »vel parum exserto.«

»Planta valde polymorpha sub qua fortasse plures species latitant,« »ut putat cl. Webb, sed limites quibus certo distinguantur reperire non« »potui.«

»Forma α hyssopifolia (*M. hyssopifolia* Webb, Phyt. et var. β. III.« »72 T. 154 a. b. *M. Preauxii* Webb, III. 75, T. 157 b.) caule robusto erecto« »vel diffuso, foliis lanceolatis, subplanis vel margine revolutis, hirsutissimis« »vel hirsuto-pubescentibus, cymulis inferioribus sessilibus, superioribus« »pedunculatis.«

»Forma β herpyllomorpha, *M. herpyllomorpha* Webb III. 72 T.« »155 a., caule ramisque crassioribus, foliis majoribus dense fasciculatis,« »cymulis subsessilibus, multifloris, subglobosis, foliis brevioribus.«

»Forma γ citrodora (*M. thymoides* var. β citrodora Webb III. 71 T.« »153 a et *M. Tragothymus* Webb III. 73 T. 155 b.), caule sicut in forma α« »sed ramis elongatis gracilioribus flexuosis hirtulis vel molliter cinereo-« »hirtis, foliis eliptico-lanceolatis subplanis vel margine revolutis, cymulis« »breviter pedunculatis, foliis brevioribus vel longioribus.«

»Forma δ lachnophylla, (*M. lachnophylla* Webb III. 79 T. 156 a et« »*M. lasiophylla* Webb III. 74 T. 156 b.) forma fere praecedentis, sed« »foliis lanceolato-linearibus, revolutis, puberulis pallide viridibus, inferi-« »oribus aggregatis, cymulis breviter pedunculatis, foliis brevioribus.«

»Forma ε rupestris (*M. thymoides* Webb III. 71 T. 163 a) caule« »humiliore erecto vel diffuso, ramis floriferis elongatis flexuosis floribundis«

»foliis lineari-lanceolatis, subplanis, vel margine revolutis, cymulis multi-«
»floris, subglobosis approximatis.«

»Forma ζ microphylla, ramis diffusis floriferis gracillimis erectis«
»elongatis patule breviterque hirtulis, foliis parvis, oblongis, obtusis,«
»planis vel margine revolutis pubescentibus, cymulis pedunculatis, foliis«
»longioribus, laxis 2—3 floris.«

»Hab. In convallibus reg. marit. insular. fere omnium. Fl. albi, pur-«
»purascentes vel coerulei.«

»8. M. lepida Webb III. 74. T. 157 a.«

»Suffruticosa caule procumbente ramis floriferis erectis, nodulosis,«
»omnibus patule albo-hirsutis, foliis brevissime petiolatis, cylindraceo-«
»fusiformibus, margine revolutis, pilis brevibus hirtulis cymulis 3—12«
»floris, pedunculis gracillimis, elongatis, inferioribus foliis multo longioribus,«
»superioribus folia subaequantibus, flore solitario in dichotomia longe pe-«
»dicellato, calycibus cylindraceo-tubulosis hispidulis conspicue 2 labiatis,«
»dentibus labii superioris ovatis acutis, labii inferioris paulo brevioris«
»lanceolato-ovatis, ciliatis, corollae tubo incluso.«

»Hab. Gomera Despr. et Bolle.«

»9. M. Linkii Webb III. 3. 79. T. 161.«

»Suffruticosa ramis e basi procumbentibus demum erectis ramulis-«
»que pubescentibus, foliis sessilibus, fasciculatis lineari-lanceolatis acutis,«
»margine revolutis patulis, cymulis 3—4 floris breviter pedunculatis, ap-«
»proximatis vel distinctis, inferioribus foliis brevioribus, superioribus«
»folia subaequantibus, vel excedentibus, calycibus tubulosis, conspicue«
»2 labiatis, pubescentibus, fauce intus villosa, labio superiore ad secundam«
»partem usque in 3 dentes lanceolatos diviso, inferioris in 2 dentes lanceo-«
»latos, subulatos 2 fido, corollae tubo subexserto ex spec. Bourgaeanis valde«
»affinis mihi videtur *M. approximatae.* Fl. lilacei.«

»Hab. Canaria in rupibus prope opp. Guia loco dicto Barranco de«
»Angostura Bourg.«

»10. M. Teneriffae Benth.«

»Suffruticosa ramosa, ramis floriferis gracilibus erectis elongatis«
»virgatis hirtulis, inferne denudatis, foliis laete viridibus rigidulis sub-«
»sessilibus late-ovatis vel ovatis, acutis, subtus parce glanduloso-punctatis,«
»cymulis breviter pedunculatis ad apicem ramosum distinctis vel in spicam«
»cylindraceam confertis, calycibus ovato-cylindraceis vix 2 lobatis dentibus«
»omnibus lineari-lanceolatis ciliatis, corollae brevis tubo incluso.«

»Hab. Teneriffae.«

»v. β ramosa (*M. terebinthacea* var β Webb III. 80. T. 164 b.)«
»ramis floriferis ramosis, cymulis omnibus distinctis.«

»11. M. densiflora Benth.«

»Suffruticosa caule erecto, ramis abbreviatis glabris foliis lineari-«
»lanceolatis acutis crassis margine revolutis, supra nitidis, parce pilosis«

»glabrescentibusve subtus nervo medio conspicuo, argenteo-pilosis, cymulis«
»10 floris foliis sublongioribus, in capitulum ovatum congestis, calycibus«
»cylindraceo-campanulatis, sub-5-fidis, laciniis lanceolatis, subulatis,«
»minute ciliatis, corollae amplae tubo incluso, fauce inflata. Plantam non«
»vidi sed verba Benthami Webbiique secutus sum.«

»Hab. In Insulis (Brouss.).«

a. cl. Bolle Bonpl. Sept. 1860. 283 in Gomerae Barr. de la Laja reperta.

M. helianthemifoliae Webb flores, quos nec Webb nec de Noé viderunt, cl. Bolle Bonpland. 1860, 283 omnium specierum maximas describit. In spec. quod ejus liberalitati debeo corolla 1 cm longa laete rosea, tubulosa, calyce 4 plo longior, versus limbum sensim ampliata, limbo aperto, *Thymo longifloro* Boiss. simillima.

»12. M. Bourgaeana Webb exsicc. Bourg. exsicc. 508.« Conf. Bolle in Bonpland. 15. Sept. 1860. 283 ubi diagnosis synopseos ined. verbotenus reperienda.

»Hab. Canaria (an recte? potius Fuerteventura) in rup. marit. prope«
»Arrecifam rara Bourg.«

C. Bolle in Bonpland. 15 Sept. 1860 p. 282 et 283 hasce Micromerias canarienses novas gregi jam ita vario addidit:

M. Perezii C. Bolle.

Hab. Palma in Caldera.

M. teydensis C. Bolle.

Hab. Teneriffae subalpina.

M. julianoides Webb.

v. Palmensis C. Bolle.

Hab. Ins. Palma subalpina.

Origanum L.

»S. W. O. vulgare L.«

»var. γ minus de Noë synops. ined.«

»Caule humiliore, foliis et corollis minoribus, ceterum ad var. β vi-«
»rentem refert.«

»Hab. Teneriffae in Barr. de Tajodio leg. Bolle.«

»O. paniculatum Koch Deutsch. Fl. 4 p. 306. Benth. Prodr. XII. 195«
»caule basi decumbenti, dein erecto parum ramoso subhirsuto foliis peti-«
»olatis late ellipticis, obsolete serratis vel integris utrinque pubescentia«
»brevissima vestitis, spicis densis cylindraceis paniculato-dispersis, foliis«
»floralibus late ellipticis acutis, calyces duplo superantibus, subeglandu-«
»losis pubescentibus, calycibus 2 labiatis, labio superiore 3 dentato, denti-«
»bus ovatis acutis inferiore breviore, corolla calyce longiore.«

»Hab. Teneriffa mont. prope Tinginam et circa Silv. Agua Garcia satis«
»rara. Canaria Despr. ita ut de plantae patria Insulari non amplius dubi-«
»tandum.« Conf. cl. Bolle in Bonpland. Sept. 1860. 282.

Bystropogon L'Hérit.

»Difficillimum genus cl. de Noë in Webbii syn. ined. ita disposuit:«

»B. canariensis L'Hérit.«

»Caule ramoso, hirsuto, foliis petiolatis, ovato-oblongis, obtusis vel« »acutis, basi rotundatis vel cuneatis, subtus pilis brevibus canis, floribus« »subsessilibus, florum glomerulis rotundatis in panicula laxa dispositis,« »calycis dentibus ovato-lanceolatis acutis.«

»var. β Smithianus.«

»*B. punctatus* Webb, Phyt. can. III. 66 non L'Herit.«

»*B. Smithii* Webb exs. caule foliisque pubescentibus glabrescentibus-« »que florum glomerulis paulo majoribus, paniculis magis aggregatis.«

»B. serrulatus Webb.«

»Caule ramoso foliis petiolatis, ovato-ellipticis vel oblongo-ellipticis,« »crebre minuteque dentato serratis, subcoriaceis, subtus pilis canescentibus« »praecipue ad nervos adpresse obsessis, floribus pedunculatis, florum« »glomerulis rotundatis, in spicato-panicula dispositis, calycis 5 fidi den-« »tibus lanceolatis acuminatis.«

»Hab. In Canaria Despréaux.«

»B. plumosus L'Hérit.«

»Caule ramoso ramis junioribus petiolatisque niveo-tomentosis, foliis« »petiolatis, ovatis vel subrhomboideo-ovatis, obtusis vel acutis, obsolete« »serratis, omnibus supra viridibus pilosis pilis brevibus albis, infra dense« »tomentoso-niveis, florum glomerulis rotundatis in spica cylindracea lanata« »dispositis, calycis tubulosi dentibus e basi ovata longe subulatis, divari-« »catis villosissimis, tubo longioribus.«

»var. β origanifolius.«

»Caule glabriusculo foliis subtus adpresse tomento pertenui incanis,« »florum glomerulis minus densis spicam cylindraceam laxam dilatam con-« »stituentibus. *B. origanifolius* L'Hérit. sert. Angl. 20, Webb, Phyt. III. 63.« »tab. 150. Benth. in DC. prod. XII. 185.«

Ego contra B. origanifolium L'Hérit. speciem distinctissimam censeo. E Palma, e M. Canaria, e Teneriffae subalpinis a Hillebr. et Asken. lecta planta statura humili fruticulosa nec fruticosa foliis multo minoribus, pilis longis in *B. plumoso* creberrimis omnino destitutis calycis ciliis brevioribus nec plumoso-dilatatis affatim diversa, ita ut antiquum Heritierum sequi praeferam.

Cl. Bolle in Bonpland. 15. Sept. 1860. 281 hasce species addidit:

B. odoratissimus C. Bolle.

Ex descriptione *B. origanifolio* affinis, sed frutex arborescens, foliis integris vel subintegris, puberulis.

Hab. Teneriffae vall. Tajodio.

B. Meridiani C. Bolle.

Arborescens, glaber, secus nervos foliorum subtus solummodo pilosus, calycibus intus glabris fauce setoso-clausis.

Hab. Ins. Hierro.

B. canariensis Herit.

C. Bolle duas distinguit varietates:

α. gracilem, i. e. typum Phyt. can.

β. hirsutum, humilem hirsutiorem ex altiore Teneriffa.

Leucophae Webb, Phyt. III. 99.

I. Pycnostachyae.

Racemis basi ramosis densis verticillastris multifloris confertissimis calycis dentibus acutis intus nudis.

1. L. macrostachys Webb (Sideritis Poir.).

Pannoso-lanata candida, foliis amplis late cordato-ovatis obtusis grosse crenatis supra viridibus rugosis infra lanatis nervis occultis, racemis basi ramosis longis spicato-alopecuroideis cylindrico-conicis verticillastris arctissime approximatis multifloris, calycis dentibus acuminatis intus nudis, corolla vix exserta, omnium minima.

Hab. In Teneriffae occiduae rupestribus regionis sylvaticae.

2. L. discolor (Sideritis C. Bolle Bonpl. 1860. 285. Leucophae discolor Webb ex de Noé in Bourg. sched. It. II. 1489.)

Foliis magnis late ovatis sive oblongis cordatis grosse et regulariter serrato-crenatis (facie fere *Stachys sylvaticae* L.) supra laete viridibus velutino-hirtis, subtus albido-lanatis nervis candidioribus, racemis brevibus basi ramosis confertis, calycis fauce aperto, intus nervoso glabro dentibus spinoso-aristatis, corolla omnium maxima valde exserta calyce duplo longiore.

Hab. Canaria Magna, ad silv. Doramas ex c. Bolle, Barranco de los Tiles in sched. Bourg. cit. vidi in herb. Boiss. Species quam maxime insignis.

II. Canarienses.

Racemis simplicibus verticillastris multifloris interruptis calycis dentibus acutis utrinque viridibus.

3. L. canariensis Webb (Sideritis L.).

Villoso lanata, lana densa brevi floccosa flava rudi more Verbascorum, foliis magnis ovato-acuminatis cordatis crenatis supra virescentibus villosis infra flavo-lanatis nervis prominentibus, racemis simplicibus elongatis verticillastris multifloris (20—30) interruptis, calyce viridi villoso dentibus acutis, corolla vix exserta labio superiore rotundato-ovato 2 fido.

Hab. In Teneriffae occid. montanis.

v. pannosa n. var.

Differt foliis utrinque dense et molliter bombycino-pannosis nec ruditer lanatis, minoribus, facie *L. candicantis,* sed inflorescentia omnino typi.

Hab. Orotava in silv. rupestr. Bourg. II 1485. Cumbre de las Mercedes id. 1488.

III. Massonianae.

Racemis paniculato-ramosis, verticillastris paucifloris calycis dentibus obtusis intus lanatis extus non scalpturatis.

4. L. Massoniana Webb (Sideritis Benth.).

Elata, flavo- aut albo-lanata, lana brevi non pannosa, foliis crenato-serrulatis oblongis subcordatis supra albido aut flavo-virentibus, subtus niveis

aut flavidis nervis prominentibus, racemis paniculato-ramosis elongatis interruptis verticillastris laxi- et paucifloris, calycis dentibus obtusiusculis intus nudis, corolla calyce majore, labio superiore ovali.

Hab. Madera sed etiam Teneriffa: Bourg. St. II. 1487 sine ind. loci sub nomine *L. soluta* Webb mss. ex de Noé; de la Perraudière Teneriffae in lauretis reg. bor. med. sine ind. stationis, 25. März 1855 in herb. Boiss. omnino typica!

v. pumila var. nov.

Humilis verticillastris magis approximatis, foliis latissime ovatis basi valde cordatis supra non lanatis sed virentibus stellatim pubescentibus, calyce breviore.

Hab. Handia Fuerteventurae, Pico del Frayle l. C. Bolle. 1852. Mesa de Tejina Teneriffae Webb 1846 in herb. meo. Mercedes Bourg. It. II. 1855. s. num.

5. L. nervosa nov. spec.

Fruticosa, humilis, lignosa, (20—25 cm) ramis sub 4 gonis niveis foliis ovato-oblongis undulato-subsinuatis seu integris parvis 3 cm long. $1\frac{1}{2}$ cm latis apice obtusissimis rotundatis, basi inaequilonge subcordiformibus, supra viridibus brevissime villosis, infra adpresse albolanatis, nervis valde prominentibus, racemis basi ramosis, infra laxis, supra dense spicatis, foliis floralibus lanceolato-linearibus versus apicem racemi non prominentibus, floribus parvis calyce 3 mm longo dense albo-lanatio nervis lana occultis dentibus obtusis intus lanatis corolla exserta.

Hab. Teno, Teneriffae 1877 l. Hillebrand. eadem prope Buena vista l. Bourg. II. 1481 sub nom. *S. Massonianae* determ. de Noé.

A *L. candicante* et affinibus racemis ramosis calycisque dentibus obtusis, a *L. Massoniana* multo majori foliis subintegris rotundatis subtus lana adpressa supra laevibus statim dignoscenda.

6. L. Dendrochahorra. (Sideritis C. Bolle in Bonpland. 1860. 285.)

Omnium maxima, frutex lignosus elatus i. e. arbuscula comosa, foliis lanceolato-oblongis obtusis basi angustatis haud cordatis margine undulatis integris raro subcrenatis, supra viridibus minutissime stellatim pilosis, infra lana albo-flavescente brevi vestitis nervis non prominentibus, racemis nunc simplicibus nunc ramosis elongatis interruptis verticillastris 10—15 floris calyce flavide pannoso dentibus obtusis corolla exserta, labio superiore bilobo lobis acutis.

Differt ramis lignosis internodiis longis foliis integris angustis lana brevi flavida.

Hab. Teneriffa septentr. l. Bolle racemis simplicibus. Ins. Hierro el Golfo l. de la Perraudière 2. Mai 1855 (sub nomine *L. solutae* Webb) in herb. meo, racemis ramosis.

IV. Candicantes.

Racemis simplicibus verticillastris paucifloris calycis dentibus acuminatis seu mucronatis intus nudis.

7. L. candicans Webb (*Sideritis* Ait.).

Frutex 30 cm alt. foliis parvis 4—6 cm long. ovato-lanceolatis apice attenuatis basi truncatis seu cordatis, subcrenatis obtusis, undique lana nivea pannosa nervos obtegentibus indutis, racemis simplicibus elongatis verticillastris interruptis paucifloris (10 flor.) fol. floralibus brevibus calyce lana adpressa vestito nervis haud conspicuis intus nudo, dentibus acutiusculis, corolla vix exserta, labio superiore late ovato.

Hab. In Teneriffae montanis.

Eadem *L. stricta* Webb mss. in Bourg. It. I, 920 et II, 1484.

v. Anagae nov. var.

Foliis supra cinereo-virescentibus rugosis, foliis fioralibus elongatis verticillastra superantibus.

Hab. Cumbre de Anaga Teneriffae sept. 1877. l. Hillebrand.

8. L. dasygnaphala Webb, Phyt. Sect. III. 101. tab. 170. bona sed foliis multo minus crenatis quam in spec. meo Bolleano.

L. eriocephala Webb mss. in Bourg. It. I. 918.

Foliis parvis (30 cm long.) ovato-lanceolatis basi truncata aut subcordata dense et manifeste dentato-crenatis, floccoso-lanatis supra virescentibus infra albis nervis obtectis, racemis simplicibus valde elongatis verticillastris multifloris interruptis calyce lana bombycina patente copiosa omnino obtecto sed intus nudo, dentibus mucronatis, corolla vix exserta dilute citrina labio superiore oblongo.

Hab. In Teneriffae merid. subalpinis pr. Chasna l. Bolle. Cañadas de Teyde l. Bourg. Gr. Canaria Bourg. I. 376 et II. 1486.

V. Argosphaceli.

Racemis simplicibus verticillatis confertis paucifloris, calycis dentibus obtusis intus tomentosis extus plicato-scalpturatis.

9. L. Argosphacelus Webb, Phyt. III, 101 tab. 169 optima, sed nervis paginae fol. inferioris nimis conspicuis!

Humilis 18 cm foliis amplioribus 4—5 cm longis late ovatis apice obtusis subtus niveis pannosis nervis obtectis, supra griseo-virentibus rugulosis crenatis, racemo simplici brevi 6—8 cm spicato-caudato, nutanti, densissimo, verticillastris haud distantibus, paucifloris, calyce campanulato niveo-lanato, lana adpressa, introrsum tomentosa, extus nervis conspicuis, dentibus obtusis triangularibus, corolla vix exserta, labio superiore lanceolato.

Perperam Benth. Prodr. XII, 437 hanc speciem optimam macrophyllam calyce obtuso manifeste scalpturato ad L. candicantem microphyllam calyce lana omnino obtecto reducit.

Hab. Teno Teneriff. occid. l. Hillebrand. Buena vista Bourg. I, 59 et II, 1482.

10. L. marmorea (*Sideritis*) C. Bolle Bonpland. 1860. 285.

ex cl. Bolle foliis omnium minimis (9—10 lin) crassissimis ovatis basi cordatis supra virescentibus subtus candidissimis crenulatis, racemis bre-

vibus verticillastris approximatis paucifloris, calyce amplo dentibus triangularibus intus tomentosis, corolla longius exserta truncata, insignis. Non vidi.

Hab. Gomera e cl. Bolle.

VI. incertae sedis.

11. L. infernalis C. Bolle sub Sideritide Bonpland 1860, 286.

ex cl. Bolle lana laxa patente foliis parvis lanceolato-ovatis subobtusis basi rotundato cordatis supra albo-viridibus subtus niveis obtusissime crenatis insignis; flores ignoti.

Hab. Teneriffa meridionalis l. Bourgeau e cl. Bolle.

Salvia L.

S. triloba L. fil.

ex clar. C. Bolle opinione (Bonpland. cit. 284) nil nisi culta seu subspontanea occurrit. Attamen ista planta adeo frequens in incultis etiam remotioribus mihi aliisque visa, ut potius spontaneam censerem. Vidi in aridissimis circa Orotavam. Cl. Hillebr. eam legit eodem in rupibus Dehesa del Burgado, prope Icod de los Vinos, et in regione sylvatica dicta de Mercedes prope Laguna. Miserunt etiam cl. Wildpret et cl. Asken. inter stirpes silvestres. Specimen ex Icod foliis latioribus rarius trilobis singulare.

S. verbenaca L.

Salviam in Phyt. can. III, 91, Tab. 167б pro *clandestina* L. descriptam cl. de Noé in Synops. ined. ita recensuit:

»S. verbenaca L. var. γ. pinnatifida de Noé. S. multifida Sibth.«
»et Sm. fl. graec. I, 17, T. 23. S. clandestina L. spec. 36. non ejusd. herbar.«
»Benth. Prodr. XII 294.«

Rosmarinus L.

R. officinalis L.

Vacat in phytographia canariensi, sed Maderae civis haud infrequens, nunc etiam in Canariis inventus. Prostant specimina pauciflora foliis glaberrimis omnino involutis ideoque teretibus, ita ut pagina inferior lanata plane occulta sit.

Hab. Barranco de Infierno de Adexe Teneriffae meridionalis C. Hillebr. 1882, loco igitur inter omnibus deserto.

Marrubium. L.

M. vulgare L.

Typus cum planta germanica omnino conveniens.

Hab. S. Bartolome vallis Orotavae Teneriffae occid. l. Hillebr.

var. apulum (*M. apulum* Tenore) var. lanatum Benth. Prodr. XII. 453.

Foliis minoribus longius petiolatis, lamina obovato-rotundata lana pannosa patentissima nivea etiam in pagina superiore tecta.

Hab. valle Seco prope S. Cruz Teneriffae merid. leg. Apr. 1884. Orotava leg. Honegger et Hillebr. Etiam Fuerteventura Bolle in Bonpl. 1860. 286.

Gentianaceae.

Ixanthus Griseb.

I. viscosus Griseb.

Lapsu in Phytogr. Can. omissus, in lauretis insularum occid. haud rarus.

Plumbaginaceae.

Statice L.

I. Annuae.

1. St. Thouini Viviani.

Podophylla, glabra glaucescens foliis lyratis, caulibus ramisque alatis, alis sub ramificationibus inflorescentiae in appendices erectas acutas triangulares productis, calycis limbo 10 lobo albo.

Hab. Teneriffa Brouss. ex Boiss. Prodr. DC. XII.

II. Perennes.

A. Cladophyllae.

Fruticuli humiles, multicaules ramosi, foliis parvis 3 cm longis tam radicalibus quam ramalibus pruinosis glabris aut calcareo-punctatis ex articulationibus ramorum fasciculatim sive solitarie nascentibus, floribus parvis calycis limbo obtuse et eroso 5 lobo carneo vel albo.

2. St. pectinata Ait. (*St. pectinata* H. Kew. v. *incompta* Webb, Phyt. III, 178).

Fruticulus diffusus, plus minus decumbens, ramis marginato-costatis apteris, ramulis sterilibus nullis, foliis obovatis, saepe fasciculatim in ramorum articulationibus, limbo calycis roseo.

Hab. Teneriffa. Canaria l. Askenasy. Hierro Bourg. I.

3. St. Humboldtii C. Bolle. Append. pl. nov. hort. reg. Berolin. 1861. 4 (Syn. *St. pectinata* H. Kew v. *Solandri* Webb, Phyt. III, 178 et Tab. 190).

Caespitosa, differt caulibus erectis subaphyllis foliis basilaribus multis lanceolato-spathulatis.

Hab. Ins. Canarienses, Ins. Palma et Gomera ex Bolle. Pozo de agua mineral Ins. Hierro l. Webb. Jun. 1845. Teneriffa: Puerto de Orotava Bourg. It. II, 1498 ex parte.

4. St. Corculum.

St. pectinata Ait. v. *Corculum* Webb, Ph. Can. III, 178.

Omnium minima, radice valida, lignosa, recta, fruticulus nanus dense caespitosus vix 5 cm altus, caulibus patulis, ramulis sterilibus nullis, a basi ramosis, foliatis, foliis basilaribus multis, fere rosulatis minimis $1\frac{1}{2}$ cm longis mucronatis cochlearibus late obovatis seu orbicularibus rarius obcordatis in petiolum latum subito attenuatis, crassis, pustulis calcareis dense obtectis, spiculis 2 floris, in spicas breves laxiusculas vix pectinatas dispositis, floribus minimis, limbo calycis albido-roseo, eroso vix 5 lobo, nervis quinque atrorubentibus prominulis.

Plantula omnibus partibus *St. pectinata* duplo minor, dura.

Hab. Ins. Canar. magnae Isleta Hillebrand. Ap. 1882.

5. St. Braunii C. Bolle. Append. pl. nov. hort. reg. Berolin. 1861. 4.

St. pectinatae habitu similis, decumbens, cladophylla, sed ramis inprimis superioribus bene alatis, ramulis sterilibus phyllodiformibus lanceolatis compressis. Limbo calycis lilacino demum albo.

Hab. Ins. Capitis viridis S. Antaõ C. Bolle.

6. St. Brunneri Webb spicil. Gorgon.

Praecedenti similis, sed ramis apteris costato-marginatis, ramulis sterilibus creberrimis tenuibus tuberculatis. Limbo calycis albo.

Hab. Ins. Cap. viridis Salis dicta. C. Bolle.

B. Aphanophyllae.

Foliis radicalibus oblongis fugacissimis sub anthesin usque ad petiolos vaginantes persistentes sed emarcidos evanidis, caulibus ramosissimis dense papillatis ramulis sterilibns creberrimis, limbo calycis vix 5 lobo, albo.

7. St. tuberculata Boiss. in DC. Prodr. XII, 662

Papillis globulosis foratis, ramulis incrassatis.

Hab. Ins. de Lobos Purpurariarum C. Bolle! Etiam Cabo Blanco Africae continent. ex Hooker.

8. St. papillata Webb, Phyt. Sect. III, 177.

Papillis albis elevatis ramorum inferiorum foratis superiorum conicis, ramulis tenuibus fere filiformibus.

Hab. Ins. Graciosa Purpurariarum.

C. Podophyllae.

Foliis omnibus radicalibus magnis coriaceis.

a. Jovi barba Boiss. Prodr.

9. St. Jovi-barba Webb, spicil. Gorgon. 170 N. N. 199.

Fol. densissime rosulatis numerosissimis spathulato-obovatis obtusis glabris basi lata trinervia, ramis apteris, limbo calycis usque ad basin 5 partita, alba.

Hab. Ins. Capitis viridis S. Vincente comm. C. Bolle.

b. Limonium Boiss. Prodr. ex parte.

10. St. ovalifolia Poir.

Glabrata, foliis obovatis mucronatis basi late petiolatis viscosis, ramis teretibus apteris, calycis limbo albo 5 lobo.

Hab. Ins. de Lobos Purpurariarum C. Bolle 1852.

c. Nobiles Boissier. Prodr.

Calycis limbo amplo truncato vix 5 lobo potius arcuato cyaneo.

α. apterae. Ramis ramulisque exalatis.

11. St. Bourgaei Webb in Bourgeau It. 1, 564.

Radice oligocephala, pubescens, foliis amplis ovatis longe petiolatis basi lyrato-sinuatis, minute punctatis, pilis papillatis stellatis inprimis margine adspersis, floribus magnis.

Hab. Lanzerote Purpur.

12. St. puberula Webb, Phyt. III, 178.

Duplo minor praecedenti; radice polycephala foliis oblongo-ovatis in

petiolum sensim attenuatis confertis, eadem pubescentia ut praecedens sed pilis stellatis crebrioribus floribus minoribus.

Hab. Ins. Lanzerote Purpur.

13. St. Preauxii Webb, Phyt. 181.

Glabra, foliis lamina 8 cm long. subcordata subito in petiolum longissimum (15 cm) constricta.

Hab. Canaria magna.

β. alatae. Ramulis floriferis late triplo vel duplo alato-auriculatis.

× micropterae.

Scapo ramisque anguste alato-costatis foliis amplis glabris.

14. St. arborescens Brouss.

Elata (30—50 cm) foliis longe petiolatis amplis apice mucronatis, ramis modice alatis, ramulorum auriculis lanceolato-cuspidatis glabris, bracteis glabrescentibus.

Hab. Teneriffa occid.

15. St. fruticans Webb in Bourg. It. I, 565.

Humilis (20—25 cm) scapo ad articulationes pubescente, foliis in petiolum brevem attenuatis, ramis costatis vix alatis, auriculis dimidiatim ovatis apice rotundatis.

Hab. Teneriffa occid.

16. St. macrophylla Brouss.

Elata foliis amplis longissimis spathulato-oblongis sensim et ad basin usque sinuato-decurrentibus sessilibus obtusissimis, rarius mucronatis, ramis modice alatis, auriculis pubescentibus ovatis obtusis, bracteis pilosis.

Hab. Teneriffa occ. et bor.

17. St. macrophyllo × arborescens nov. hybr.

Foliis late ovatis mucronatis in petiolum latum sinuato-decurrentibus, ramorum alis latioribus manifeste nervosis, auriculis glabriusculis, lanceolato-cuspidatis, bracteis pubescentibus.

Foliis *St. macrophyllae,* auriculis *St. arborescenti* proprior.

Cult. in hort. bot. Orotavensi.

×× macropterae.

Elatae pubescentes foliis lyrato sinuatis aristatis, scapo ramisque late alatis, ala caulibus multo latiori foliaceo-multinervi, infra articulationes desinenti.

18. S. brassicaefolia Webb, Phyt. III, 181.

Foliis apice rotundato-obtusis auriculis ramulorum floriferorum falcato-lanceolatis, bractea intima florali apice albido-appendiculata.

Hab. Gomera Ins.

19. S. macroptera Webb, Phyt. 182.

Foliis ovato-acutis auriculis latissime rotundatis, bractea intima florali apice cyaneo-appendiculata.

Hab. Hierro Ins.

20. St. imbricata Webb in de Girard. Armer. et Static. Ann. sc. nat. 3 série vol. I, 330.

Tota dense velutina, foliis multilobis lyrato-runcinatis usque ad rachim incisis, ramulorum floralium auriculis triangularibus obtusis.

Hab. Teneriffa occid.

Plantaginaceae.

Plantago L.

P. Lagopus L.

v. caulescens Hillebr. in sched.

Differt a typo acauli rosula deficiente, axi elongato erecto folioso usque ad 1 dem longo, internodiis usque ad 3 cm longis, foliis alternantibus, in longum petiolum angustum sed basi vaginantem scariosum attenuatis, scapis solitariis ex axillis foliorum orientibus, planta saepius uni-rarius pluriscapa.

Habitus omnino *P. amplexicaulis* Cav.

Hab. Orotava b. Hillebr. 1879.

Etiam Maderae: »West of Funchal« id. 1877.

Cucurbitaceae.

Bryonia L.

B. verrucosa Ait.

Inveni specimen florens nanum foliorum laminis profunde usque versus basin 5 et 7 lobatis lobis oblongis, multum a forma normali angulato abhorrens, sed caeteris characteribus non nisi pustulis creberrimis diversum.

Hab. Valle seco Teneriffae prope S. Crucem 1884 Mart., tempore, quo forma normalis in valle Orotavae vix primis foliis novellis e terra esurgere coepit.

Rubiaceae.

Phyllis L.

P. viscosa.

Anthospermum viscosum Webb in sched. It. Bourgeau II, 1855 N. 1363.

Phyllide Nobla L. minor, sed lignosior, frutex nanus diffusus basi penna anserina crassiore, ligno duro, cortice griseo-brunneo, rimoso ramis in nodis superioribus glutinoso-viscosis, foliis firmis oppositis approximatis lanceolato-oblongis, longe acuminatis, in petiolum longum attenuatis, infra manifeste reticulato-nervosis glaberrimis, inflorescentiis paniculatis axillaribus et terminalibus myrianthis contractis, pedicellis minimis fructu brevioribus, ideo corymbulis ultimis fere capitatis, floribus... fructu late obovato truncato 2 mm longo, $1\frac{1}{2}$ lato appendicibus calycis 4 raro 5 sed duabus majoribus acutis recurvatis persistentibus.

Ph. Nobla L. multo major sed mollior differt pubescentia pilosa etsi saepe evanida, foliis membranaceis majoribus breve petiolatis, typice verticillatis, paniculis laxis, pedunculis filiformibus fructu longioribus, fructu clavato-oblongo majore: $3\frac{1}{2}$ longo, 2 lato, et inprimis appendicibus calycinis nullis vel rarissime solitariis obliteratis.

B. Webb in sched. cit. sane ob appendices calycis manifestas hanc plantam nomine

Anthospermi salutavit, sed Phyllidi Noblae valde affinis habituque ab Anthospermis valde discrepans.

Hab. Detecta a Bourgeau in Teneriffae occid. merid. prope Los Silos ad rupes de las Cuevas negras; 13 mart. spec. fructif. In eadem plaga b. Hillebr. hanc stirpem iterum legit prope Buena Vista 1880 vere, etiam fructiferam.

Caprifoliaceae.

Sambucus L.

S. Palmensis Link.

Hab. In Phyt. II, 176 solum Palmae Insulae haec arbuscula vindicatur, sed in Teneriffae occiduae silvaticis haud infrequens. Legit Bourgeau It. II, 1360 in Agua Mansa, ego Ap. 1884 infra silvam Agua Garcia, et b. Hillebr. in Barranco de la madre Juana supra Realejo, et quidem foliolis ad basin foliolatis i. e. foliis subbipinnatis.

Compositae.

Schizogyne Cass.

S. sericea DC.

var. glaberrima.

S. glaberrima DC.

C. Schultz in Phyt. II, 218 egregiae haec plantae ne varietatis quidem ordinem tribuit, sed minus recte. Sane prostant formae calvescentes, quarum folia subglabra, sed vera Candollei *Sch. glaberrima* magnae Canariae uti videtur propria differt glabritie omnium partium, caulibus altioribus, erectis, virgatis, minus ramulosis, foliis longioribus, basi caulium patulis, superne erectis, corymbo maxime composito conferto terminali, more *Chrysocomae.*

Haud cum speciminibus istis plus minus glabratis typi confundenda, quae pube ramorum nunquam carent, ramisque diffusis, foliisque patulis, corymbis minoribus, laxis et inaequalibus cum forma albicante congruunt.

Hab. In M. Canaria uti videtur non rara. Barranco de Fatalga 1856 cl. Bolle. s. i. l. Fritsch.

Chrysanthemum L.

Sect. *Argyranthemum.* (Webb et C. Schultz Phyt. II, 258 pro genere.)

Chr. frutescens L.

v. Canariae nov. var.

Differt a formis Teneriffae statura humili vix spithamaea, caule valde incrassato, decumbente, ramis validis brevibus subunifloris, foliis brevibus paucilobis et brevilobis, pedunculis crassis, capitulis permagnis, disco multifloro.

Hab. Gr. Canaria »en todas partes del Norte de la Isla« Ap. 1882 cl. Hillebr. et Askenasy in sched.

v. gracilescens nov. var.

Transitum a *Chr. frutescente* ad *Chr. gracile* (*Argyranthemum gracile* C. Schultz) sistens: an hybrida?

Habitu *Chr. gracilis*, fruticulus erectus virgatus superne furcato- et patulo-corymbosus, nec arcuato-ascendens uti typus, pedunculis elongatis,

gracillimis, foliis scabro-papillosis, multo angustioribus, lobis lateralibus linearibus, mucronatis, floribus *Chr. gracili* haud majoribus.

Hab. Teneriffae ora merid. Guimar l. Hillebr. 1882.

Chr. crithmifolium (*Pyrethrum crithmifolium* Link in Buch herb. teste cl. C. Bolle in append. hort. bot. reg. Berol. 1861. 5) differt foliorum lobis clavato-obtusis apiculatis, caeterum ex descriptione simillimum.

Hab. Teneriffa pr. Taganana.

Sect. Preauxia (C. Schultz in Phyt. II, 252 pro genere).

Chr. canariense.

(*Preauxia canariensis* C. Schultz.)

mirum in modum ludit:

1. Jam specimina Teneriffae a Hillebr. in Barranco del Valle prope S. Ursulam lecta lamina folii mediana lata, lobis ovatis acutiusculis, ea a Bourgeau in Barranco de Agua prope Guimar It. II, 1387 reperta lobis rigidiusculis attenuato-acuminatis gaudent.

2. Sed discrimina speciminum Magnae Canariae majoris adhuc momenti.

Plantae a Bourgeau al Saucillo (It. II, 1386) lectae cum illis *S. Ursulae* congruunt, et eae a cl. Fritsch 6. Mrt. 1854 ad Peñones repertae foliorum lobis primariis lanceolato-linearibus gaudent.

Imo forma extrema, mihi

var. tenuisecta n. var.

a cl. Bolle e montibus al Hoyo de la Vieja allata non solum lobis lateralibus, sed etiam rachide foliorum principali lineari habitu idcirco alienissimo, fere Argyranthemi insignis.

Chr. Dugourii.

Preauxia Dugourii C. Bolle in Bonpl. 15. Nov. 1859. 297.

Foliorum laciniis linearibus acutis apiculatis conspicua, a cl. Bolle in Teneriffae merid. montosis detecta, etiam a cl. Askenasy in ascensu montis de Teyde Jun. 1882 lectum.

Sect. Ismelia Cass.

Chr. coronopifolium.

Ismelia coronopifolia Schultz Phyt. II, 272.

v. angusta n. var.

Lobis foliorum jam inferiorum i. e. latiorum profundissime pinnatifidis, superiorum lanceolato-linearibus, supremorum recte linearibus, rachide 1—2 mm lata.

Hab. Caldera Palmae Hillebr. 1880.

Artemisia L.

A. canariensis Less.

v. elata Bolle in Bonpland. 1860. 132.

Planta luxurians, elata, virgata, a forma densissime et breviter ramosa Teneriffae mire diversa, foliis ramorum sterilium remotis 7 mm et ultra latis idcirco omnino *A. Absinthii* habitu.

Hab. a c. Bolle in Gr. Canariae oris lecta etiam a Hillebr. 26. Ap. 1882 in Monte Doramas ejus insulae reperta.

Senecio L.

S. micanioides Otto.

Hab. in insula Teneriffa magis magisque quasi sponte propagatur, et ab incolis in hortis hederae loco et voce colitur. Nunc in muris vetustis rupibusque littoris invenitur, e. gr. inter Garachico et Los Silos Ap. 1884!

Sect. Pericallidium Schultz et Pericallis Webb.

C. Schultz in Phyt. Can. Seneciones purpureos albosque atlanticos in duo genera divulsit, ita ut frutescentes, foliis radicalibus carentes Senecionibus, herbaceos foliis radicalibus gaudentes Doronicis adnumeraret. Sed, uti mihi videtur, contra naturam, quia extra hoc discrimine nullo charactere juvante. Canarienses herbas istas Doronicis europaeis miscere mihi intolerabile, quia habitu toto caelo a nostris speciebus flavis, macrocephalis, oligocephalis differunt.

Ita me judice species sunt collocandae:

I. Pericallidium C. Schultz Phyt. II, 317.

Fruticuli foliis conformibus.

1. S. appendiculatus C. Schultz (*Cacalia appendiculata* L.).

Corymbosus, petiolis appendiculatis, caule albo-tomentoso.

2. S. multiflorus C. Schultz non DC. (*Cineraria multiflora* Ait.).

Corymbosus petiolis appendiculatis caule glabro foliis oblongis.

3. S. maderensis DC.

Corymbosus petiolis appendiculatis caule subglabrato foliis rotundatis.

4. S. Heritieri DC.

Monocephalus petiolis exappendiculatis foliis parvis reniformibus.

II. Pericallis Webb.

Herbae rhizomate subterraneo perenni foliis radicalibus amplis, caulinis versus corymbum decrescentibus.

A. Ortholepis C. Schultz.

Macrocephali, involucri phyllis laevibus erectis.

5. S. Tussilaginis Less. (*Cineraria* L'Herit.).

Foliis angulato-lobatis crenulato-dentatis.

6. S. Webbii. (*Doronicum Webbii* C. Schultz. *S. multiflorus* DC. non C. Schultz.).

Foliis rotundatis subsinuatis, superne in vaginas transientibus.

B. Campylolepis C. Schultz.

Microcephali, involucri phyllis plerumque corniculatis ante anthesin recurvatis.

a. microphylli. Foliis radicalibus caulinis mediis similia.

7. S. echinatus DC. (*Cacalia echinata* L.).

8. S. malvaefolius DC. (*Cineraria* L'Herit.) azoricus, praecedenti an nimis ?-affinis.

b. macrophylli. Foliis radicalibus amplis petasitoideis, caulinis majoribus.

9. S. cruentus DC. (*Cineraria* L'Herit.).

Radio multi (12) floro purpureo, petiolis auriculatis.

10. S. Steetzii C. Bolle, Bonpl. 15. Nov. 1859. 296.

Radio multi (12) floro niveo, petiolis auriculatis.

11. S. Hillebrandii nov. sp.

Radio pauci (8) floro petiolo exauriculato foliis subtus dense tomentosis.

12. S. papyraceus DC.

Radio pauci (8) floro petiolo exauriculato foliis glabris seu subtus parcissime arachnoideis.

S. appendiculatus C. Schultz.

Specimen Palmense a Hillebr. ad Cabo de Golga lectum appendicibus petioli numerosis permagnis singulare.

var. Preauxianus C. Schultz.

A typo praeter petiolos exappendiculatos differt statura humili caulibus simplicibus raro plus quam spithamesis, foliis paucis superioribus majoribus corymbo denso pedunculis filiformibus.

Hab. Canariae Magnae incola, etiam a Hillebr. et Asken. in hac Ins. 1882. lectus.

S. Webbii. *Doronicum* C. Schultz.

recte Cl. Bolle in Bonpland. 15. Ap. 1860. 133 *S. Bourgaei* C. Schultz in Bourg. It. II, 1373 merum hujus speciei esse synonymum edocuit.

Species prima facie foliis amplissimis ambitu more Adenostylis rotundatis vix repandis superioribus vaginaeformibus lamina carentibus insignis.

Hab. b. Hillebr. locis natalibus adhuc notis convallem Barranco de la Virgen M. Canariae addidit. Ap. 1882.

S. cruentus DC.

Legi plantae pulcherrimae typum egregium, foliis utrinque rubris, subtus lana roseo-purpurea tectis, etiam caule purpurato supra La Florida Orotavae Ap. 1884.

Habeo eandem aeque coloratam e Barranco del Valle l. Hillebr. et e Barranco del Agua prope Guimar l. Bourgeau II, 1395.

C. Schultz in Phyt. II, 338 erronee involucri phylla glabra vocat; sunt revera raro glabra, sed plerumque cum pedunculis plus minus pilis corniculatis sparsa.

var. bracteatus.

Cineraria bracteata Chr. Smith ex Link apud L. de Buch Can. 148 et 176 ex descriptione.

Differt foliis utrinque atroviridibus scabris nequaquam tomentosis, et insuper densius profundiusque crenulatis, superioribus valde elongatis, involucro pedunculisque dense corniculatis, capitulis typo majoribus.

Hab. Teneriffae mont. Tigayga Asken. 1882.

S. Hillebrandii nov. spec.

Elatus facile omnium maximus, caule fere digiti minimi crassitie, glaberrimo, striato-sulcato, medulla farcto, uti videtur circa 1 metr. alto, foliis radicalibus . . . ., inferioribus caulinis (radicalibus certe similibus) longe (1 dec) petiolatis (petiolis exauriculatis) 1 dec latis paulo brevioribus profunde cordatis subreniformibus, 10—12 angulatis, angulo apicali prominente, foliis infer. exacte ambitu *Petasiti albo* similibus palmatinerviis grosse dentatis superioribus caulinis minoribus subtriangularibus raro ad basin petioli auriculatis, rameis oblongis vel lanceolatis demum linearibus minimis,

basi dilatatis, omnibus supra glaberrimis subtus dense floccoso- et albido-tomentosis, corymbo amplissimo myriantho, decomposito et superdecomposito, ramulis extremis 2—3—5 cephalis aequilongis ideoque corymbis planis aut parum convexis, pedunculis clavatis nudis calathidiis duplo longioribus ad ramificationes squamulis setaceis suffultis, calathidiis parvis sed iis *S. cruenti* majoribus praecipue longioribus cylindraceis 10—12 mm diametro latis ad basin callosis, involucro plerumque 13 phyllo, phyllis primum apice recurvatis, deinde arrectis, glabris, receptaculo 2 ad 3 mm lato convexo in medio grosse alveolato, alveolis margine fimbriato, floribus radii 6—8 lingulatis purpureis, floribus disci uti videtur limbo purpureo. Acheniis radii (longioribus) pilis paucis, disci (brevioribus) late ovatis pilis crebris albidis adpressis, pappo albido nec niveo, deciduo, 5 mm longo.

A *S. cruento* et *Steetzii* etiam tomentosis recedit magnitudine, petiolis regulariter exauriculatis, radio paucifloro, a *S. papyraceo* tomento, magnitudine, foliis crassioribus, involucri phyllis latioribus glabris, corymbulis densissimis distinctus.

Hab. In Ins. Palmae Barranco de las Angustias l. Hillebr.

S. papyraceus DC.

Etiam haec species involucris parce corniculatis gaudet. Male Candolleus nomen *S. Cimae* a b. Webb huic plantae (a me affatim in Ins. Palmae silvis Mart. 1884 observatae) impositum mutavit, quia folia viva minime chartacea sed mollia herbacea, licet tenui structurae.

Vidi supra civitatem S. Cruz de la Palma magna copia formam penitus glabram nunquam arachnoideam.

Filago L.

F. lutescens Jord.

v. evacina n. var.

pygmaea, acaulis, mono- aut bicephala, facie omnino Evacis pygmaeae.

Hab. in aridissimis Magn. Canariae prope Telde l. Hillebr.

Eandem Bourg. I. 312 in siccis Lanzerottae sub nomine Evacis pygmaeae legit et distribuit. Varietatem analogam f. *spathulatae* Presl.: prostratam Parl. cl. Schweinfurth in desertis Aegypti legit conf. Boiss. or. III, 246. Evax vera dubia Insularum civis.

Andryala L.

A. pinnatifida Ait.

C. Schultz in Phyt. II, 414 varias speciei quam maxime proteiformas secundum foliorum divisionem proposuit.

Pluris momenti videtur crescendi modus.

1. adest forma typica fruticosa.

Fruticulum caule crasso tortuoso saepius ascendente humili jam prope basin ramoso et corymboso, foliis fasciculatis densis etiam corymbi ramis valde foliosis.

Haec forma locis saxosis regionis calidae Insularum communis est.

2. adest varietas stricta n. var.

Caule simplicissimo stricto, e collo radicis suffrutescentis herbaceo,

